SYMBOLARUM
DECAS ROMANA.

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPUSCULA VARIA

PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQUARIA
SIGNA LAPIDES NUMISMATA GEMMAS
ET MONUMENTA MEDII AEVI
NUNC PRIMUM EDITA
COMPLECTENTES

VOLVMEN OCTAVVM

Tab. Æri incisis illustrat.



ROMAE CIↃ. IↃ. CC. LIV.
EX TYPOGRAPHIO PALLADIS
SUMTIBUS NICOLAI, ET MARCI PALEARINI
PRAESIDUM PERMISSU.

JACOBO CARACCIOLO

E MARTINENSIUM DUCIBUS
CRYPTALBARUM, ET CURCII DYNASTÆ
VIRO AMPLISSIMO

NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI
FELICITATEM.

DE multis egregiisque bonis, quæ, VIR NOBILISSIME, in Te vel natura contulit, vel indu-

 ſtria,

ſtria, cum a multo tempore nobis ſubierit cogitatio, & animo altiſſime inſederit, Teque idcirco præcipuo nobis officio, & obſervantia colendum ſtatuerimus, percommode facturos exiſtimabamus, ſi quem ex iis, quos ſubinde evulgamus, Libris in tuo illuſtri Nomine emiſſum dono Tibi offerremus. Eorum autem librorum, quos ante hos quatuor annos edidimus natura, non negligentia noſtra factum eſt, ut noſtrum Tibi ad hanc diem defuerit officium. Ex iis enim ſi quem

Tibi

Tibi dono dediſſemus eorum hominum reprehenſionem fortaſſe nobis non licuiſſet effugere, qui Principibus Viris ea muneri danda eſſe jubent, quibus ii potiſſimum delectentur. Cùm autem VIII. Symbolarum Gorianarum Tomus occurrerit, quo multa eorum continentur, quæ ab humanitate ſibi nomen adſciſcunt, compertumque habeamus, mirifico Te quodam ejuſmodi rerum ſtudio teneri, eum Tibi mittimus; atque ut non tam eligendo munere, quam ornando noſtra probetur in-

duſtria, Tuum ipſi libro Nomen, quod ſummum eſt ornamentum, appoſuimus. Tibi autem hoc munuſculum, etſi tenue, & exiguum, gratum futurum ſperare nos jubent, qui mirabiliter de animi tui magnitudine, & loquuntur, & ſentiunt. Vale.

LECTORI HUMANISSIMO

ANT. FRANCISCUS GORIUS.

PRolixa nimis esset Præfatio mea, si singula, quæ a doctissimis Viris in hisce Opusculis proposita sunt, atque adcurate enucleata, vel leviter excerpere, vel, apis Matinæ more, delibare vellem. Perstringam tamen brevissimo compendio, quæ præcipua in iisdem occurrunt. Primum studiosorum publico bono heic rursum proponitur Josephi SUARESII, *Episcopi Vasionensis, & Basilicæ sancti Petri Vicarii, pererudita de* Numismatis, & Numis antiquis Dissertatio, *ex autographo Romæ edito anno M. DC. LXVIII. ex typographia Fabii di Falco, quam Excellentissimo Principi Thomæ Rospigliosio Arcis S. Angeli Præfecto dedicavit. Hanc nuncupatoriam Epistolam, ut omnes plerumque*

rumque typographi solent, noster quoque prætermisit; quod factum nolebam; quare heic exscribendam opportunum esse ratus sum: Inter litteraria monumenta, quæ ad Historiam pertinent, nullum jucundius, utilius nullum, commodiusque Numismatis antiquis: in his enim Viri, præsertim Principes, quibus ob negotiorum molem, atque multitudinem non usquequaque vacat, uno ictu oculi, Heroum, & Imperatorum, qui elapsis sæculis retro fuere, vultus, habitus, resque fortiter, ac præclare gestas recognoscunt, &, quæ deinceps gerant ipsi, pervident. Quando igitur Exc. V. oblectari se, capique hoc studio, mihi non ita pridem indicavit perhumaniter, Observatiunculas istas illi offero perlubens, quas in schedis meis reperi, obsequii perennis, quod SS. D. N. CLEMENTI IX. patruo, & Illustrissimis, & Excellentissimis Dominis Jacobo & Vincentio Fratribus V. Exc. atque ipsi jamdudum detuli ex asse certissimum argumentum. Id si libenter exceperit Excell. V. mihi gratulabor; & animum, ingeniumque ad

ad offerenda potiora afferam, & erigam. Deus Opt. Max. Sanctissimum Dominum nostrum Pontificem Maximum, vere Optimum, & Excell. VV. bono, ac decori Christianæ Reipublicæ natas sospitet, ac diutissime fortunet. Vale, e Cancellario Kal. Novembribus MDCLVII. Excell. V. Devotiss. & Addictiss. servus Josephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis, Vicarius Basilicæ S. Petri. *A Transmarinis Litteratis Viris magno in pretio habitam, testatur editio Amstelodamensis, forma duodecima per Henricum Wetstenium facta, post Romanam annos quindecim; quod mihi ex Catalogo Bibliothecæ Eminen. Cardinalis Imperialis innotuit; in qua quidem Bibliotheca deest prima editio Romana, quæ apud me exstat; quæ postquam edita est, perrara evasit. Suaresius discussa primum proposita quæstione de numismatum Cæsareorum usu, erudito compendio ea omnia complectitur, quæ scientia Numaria studiosis cultoribus præstat; quæ ita accurate ab eo exposita sunt, ut ad hoc studium pulcherrimum atque oppido utilissimum eruditos adliciant: quum præcipuum*

puum ea fit Historiæ, Geographiæ, & Mythologiæ antiquæ fundamentum. Perparva hæc, hisque similia Opuscula, magnis viris identidem argumenta suppeditant, ut majora moliantur; quale illud perinsigne totoque litterario Orbe celeberrimum immortalis Ezechielis Spanhemii, quod perfecit, & mox luculenter auxit ampliavitque, de usu & præstantia Numismatum antiquorum; *quod opus apud nos perrarum, auctum novis curis amicissimum virum nuper hortabar, ut iterum post Londinenses, Italis prælis excusum apud nos proferret, ne eo careremus, vel immane pretium in eo conquirendo persolvere cogeremur. His addi potest Dissertatio pulcherrima & præclara Celeberr. Gisberti Cuperi, quæ in fine ejus Operum* (1) *hunc titulum præfert*: Utilitas quam ex Numismatis Principes capere possunt, *quæ multa eruditionis fruge referta est*.

Suaresianæ Dissertationi succedit Epistola Præsulis Clarissimi ac magni nominis & doctrinæ Francisci Blanchini *Veronensis, de* Lapide Antiati, *quæ quam multa*

1 *Edit. Trajecti ad Rhenum apud Franc. Halm. Acad. Typogr. anno* 1687.

multa scitu digna e tenebris vetustatis eruta contineat, docet titulus, quem præfert. Primum prodiit Romæ typis Antonii de Rubeis anno 1698: *quæ etsi inter primos ejus juveniles ingenii fœtus censeatur, tamen multo cum plausu a litterato orbe excepta est, & paullo post rarior effecta. In ea Veteris Antii monumenta eximia tunc eruta proferuntur, atque explicantur; plumbeus Hadriani numus insertus in antiquo marmore ex Antiatinis Hadriani Villæ ruderibus eruto, cum nomine L. Coccii Architecti, quem laudat Strabo inlustratur, & de ejus operibus & ædificiis ac pavimentis agitur. Hinc clarius elucet, quam utiles ad veterem Historiam inlustrandam atque amplificandam sint terræ egestiones, quas præsertim Romæ frequentiores esse percupio. Si absolutam habuissem Diatriben de claris* antiquis Architectis; *quam nuper meditatus sum, & adhuc adfecta in meis Adversariis latitat, hoc in loco lubenter eam contulissem; sed, quod in votis est, posterioribus curis dabitur. De numis hujusce plumbeis multa adnotat Clar. Franciscus Ficoronius, quem adeat Lector; sed de eorum usu, exquisito*

eru-

eruditionis adparatu luculenter differit, eximium Musarum decus & ornamentum, Julius Carolus Sshlaegerus, *Philologus Helmæstadiensis, inter optimos amicos mihi semper suspiciendus & laudandus, cujus in lucem edita Helmæstadii an.* CIↃ. IↃ.CC. XLII. 4. *laudatur Commentatio* de Numo Hadriani plumbeo, & Gemma Isiaca in funere Ægyptii medicato repertis, *quam mihi perhumaniter dono dedit. Perelegantibus Antiatinis monumentis annis ab hinc aliquot effossis, addenda est Tabula marmorea Antiatina, in Museum Eminentiss. Card. Albani translata, quam protulit ære incisam idem celeberrimus Præsul Blanchinius Romæ an.* MDCCXXVII. (1) *quam vertente superiore anno in lucem cum Commentario suo protulerat V. C. Joseph Roccus Vulpius Societ. Jesu Sacerdos. Collectio Antiatinorum laterculorum fictilium augeri aliquando poterit ex meis Schedis, in quibus complures ex archetypis ab amicis peraccurate exscripti mihi traditi sunt.*

Duobus Præsulibus Romanæ Aulæ Suaresio & Blanchinio, *tertius additur Joannes Bapt.* Donius, *Patricius Florentinus,*

1 Camera ed Inscriz. Sepulcrali de' Liberti, servi, ed Ufficiali della Casa d'Augusto &c. *fol.*

tinus, & ipse regnante Urbano VIII. Præsul præstantissimus; cujus opera ad Musicam veterem instaurandam, novamque perficiendam & illustrandam meis curis e domesticis forulis sive ergastulis prolata, brevi prodibunt, addita egregia Cl. Virorum ad Donium, & Donii ad claros Viros Epistolarum numquam antea editarum sylloge. Hoc Opusculo, nunc primum edito, & a me ex ejus autographo exscripto, explicat DONIUS *sacrum aureum quoddam Numisma, ex encolpiorum genere, in quo sculptus JESUS a parentibus in Ægyptum, Deo jubente, delatus; altera vero facie ejusdem Christi Reparatoris triumphalis in cælum ascensus conspicitur. Insculpta in eo Epigraphe adfertur, & in subjectis notis magis magisque & illustratur & emendatur. Multa in nuncupatoria Epistola ad Cardinalem Amplissimum Franciscum Barberinium adnotat* DONIUS *de studiis suis, præclarisque in litterariam Rempublicam meritis, quorum testes sunt a me editæ* Donianæ Inscriptiones. *Hinc discimus eum circa annum* CIƆ. IƆ. C. XXX. *quo hæc Dissertatio scripta videtur, (nam annus deest in autographo) accurata serie*

rie & ordine in Cimeliis digessisse Numismata omnia locupletissimi MUSEI BARBERINII.

Post hæc sequuntur Analecta quatuor elegantissima, quæ debentur curis celeberrimi Viri Paulli M. PACIAUDI, *quæ ipse mecum humanissime communicavit; ad quem pertinet, ejus præclaro nomini inscripta Explicatio duarum Veterum Gemmarum Musei Oliverii, quam ad me primum misit deditque vir eximius Joannes* CHECOZIUS *S. Vicentinæ Ecclesiæ Canonicus Theologus, exquisita doctrina vir, ac multiplicis lectionis, quam postmodum a me acceptam eruditis adcessionibus locupletavit, ut meis hisce Symbolis ornamentum adferret splendidissimum, optimo consilio eidem Paciaudio amico meo suavissimo inscriptam. Illud superest, Candide Lector, ut has erudita Vetustatis delicias benevolo animo, ut soles, excipias, & meis curis, & amicorum studiis faveas humanissime. Vale.*

ΕΝ ΠΑΣΙ
ΔΟΞΑΖΗΤΑΙ Ο ΘΕΟΣ

Ex I. *B. Petri Epist. cap.* IV. *v.* II.

JOSEPHI MARIÆ
SUARESII
EPISCOPI VASIONENSIS,
ET BASILICÆ S. PETRI VICARII

DE NUMISMATIS
ET
NUMMIS ANTIQUIS
DISSERTATIO.

NUMISMA

PROBLEMA.

AGitatur nobile problema inter Æneam Vicum, & Sebastianum Erizzum: iste negat, ea numismata, quæ insigniuntur facie illa Anaglypha Imperatorum, uxorum, & filiorum, fuisse in usu commercii.

1 Quia non est verisimile vulgari monetæ * sculptas fuisse eas Imperatorum facies, quas Romani numinum instar adorarent, & cum illis ad loca secedere turpia apud eosdem Romanos esset capitale; ut patet ex Suet. in Tiberio; atqui per manus artificum viliorum traduci facies adorabiles quam indecorum esset?

2 Ob nimiam eminentiam Anaglyphi essent incommoda numerationi, atque adeo humanæ societati, & commercio.

3 Quia erant elegantius excusa, Anaglypho nimirum eminenti, & exculpto. In quo Anaglypho cudendo oportuisset Marculos signato-

 rios

* *De Numismatum, & moneta discrimine fuse Bovis p. 73. Hist. Arelatens.*

rios sæpius perfringi ; unde fuisset moneta ; & Principi , & Præfectis monetariis damno magis, quam utilitati .

Ab hac sententia discedens Æneas Vicus , arbitratur, numismata ea , quæ antea descripsimus , fuisse apud Antiquos vulgarem monetam.

1 Quia fuit in usu apud omnes nationes , ut facies Principum inscriberentur Monetæ , a qua etiam appellationem hauriebant : unde Darici , Philippici , a facie Darii , Philippi insculpta ; vult Aristoteles in Politicis appositam monetæ faciem Principis tanquam fide jussorem , & vadem justi ponderis , & legitimæ materiæ .

Apud Imperatores Græcorum in usu etiam fuit adscribi in nummis faciem Christi , quæ adorabilis est .

2 Ea numismata , quæ sunt Anaglyphi eminentioris, adeo non impediunt numerationem, ut etiam juvent , quia facilius ab invicem separantur . Adde quod sint ad usum diuturniora , quod facies Principis eminentior , sit etiam diuturnior .

3 Quod attinet ad elegantiam , & ad marculorum frequentem fractionem , ejus est sententiæ , non excusa fuisse numismata , sed fusa; asseritque Lugduni repertos aliquando ex argilla conflatos monetarios modulos ; quibus ita fusis adhiberentur marculi , ut ad absolutam , & expolitam elegantiam perducerentur facies Imperatorum in numismatis . Sed plura solerter eruditissimus Carolus Patinus in Isagoge Gallica

Gallica Notitiæ Num. c. 3. ex l. 28. D. de Usufructù, Numismata distinguens a nummis, etsi sæpissime misceantur.

Dignitas Numismatum.

POst symbola & characteres Ægyptiacos, post historiarum monumenta litteris consignata, quæ omnia ignis fuerunt, temporisque spolia;

Demum excogitatum est iis instrumentis, actiones humanas committere, sine quibus humanæ societatis commercia consistere non possent, monetam intelligo, inventum, quo nullum fuit minus ab initio, nullum majoribus incrementis ad gloriam Imperiorum processit; nihil siquidem vel Græca, vel Romana gessit Respublica, quod spectandum sibi, vel legendum non dederit Moneta.

Si bella placent, in nummis apparent descripta vexilla, Trophæa, allocutiones, Triumphales currus, & arcus, armaturæ modus omnis, clypei, cassides, ancilia, &c.

Si Religio placet, in nummis apparent facies Numinum antiquorum omnis generis, pax, felicitas, æternitas, pietas, Templa, Sacrorum omnium ritus, Deorum simulacra, aræ, vasa, litui, funerum varietas, Apotheosis.

Si placent Politica, in nummis visuntur magistratuum fasces, ludi sæculares, Theatra, Amphitheatra, Sellæ, Diademata, Tiaræ.

Quidquid tandem de primario illo populo cele-

celebrari potuit, aut ignorari a posteris non decebat, in æternis numismatum tabulis asservatur. Numismata siquidem sunt illa memoriæ tabula adamantina, gloriæ perennis, & immortalis charta, illustris ara Mnemosynes. Inclusum itaque in nummis nobile historiarum opus, atque adeo alibi collapsum restituunt numismata, & illustrant historiam antiquam.

Victura signavit imagine nummus,
Flamma triumphales ambussit livida ramos,
Auratasque notas vis lethi infregit, & ævi,
Naumachiæ, Circi, Templa, Amphitheatra, Colossi,
Nunc brevis immenso Romæ de funere pulvis;
Dives adhuc cornu fortuna reliquit in auro,
Viva renascentes cui spirat imago Quirites.
Mira fides Plutus Dis lumine cassus, in auro
Nunc oculos centum ceu lynceus Argus adaptat:
Qui cæci ante Midæ insanas erravit ad artes
Nunc sedet ipse Sophon gremio, Phœbique Theatro
Spectat honorato spectandus & ipse metallo,
Ac docto loquitur facunda silentia vultu,
Dardanidum antiquos muto canit ære triumphos.
præstantque Numismata chartis.
Antiquo quo vivit Roma, metallo
Roma hic actu, sola alibi quæ voce triumphat.

Origo & ætas Numismatum.

DIvus August. 4. de Civit. ait placuisse Romanis, ut Argentinus Deus diceretur filius Æsculani, quod ærea moneta argenteam præ-

præcessisset. Pecuniæ signatæ usum antiquissimum fuisse patet ex Genesi de Abrahamo, & aliis; formæ, & usus facilitas a Servio Romano Rege traxit originem, qui ovium, bovumque effigie signavit nummos, indeque dicta est pecunia.

Jano tribuitur a plerisque origo signandæ pecuniæ, quod in altera fronte nummorum adscriberetur ejus caput, in altera vero fronte, vel navis, vel pons, vel corona. Vide Athenæum, & Macrobium, licet alii velint navim appositam fuisse nummis Italicis, quod Saturnus navi vectus fuisset in Italiam.

Licebat Prætoribus, Quæstoribus, ac Legatis, nummos cudere in Provinciis, ait Fulvius Ursinus, & in iis familiarum suarum gloriam characteribus symbolicis tanquam litteris sculpere; ita ut quod nobis sunt stemmata gentilitia, in quibus Galli familiarum suarum gloriam pingunt: id Romanis essent numismata, in quibus adscriberent æternis pæne monumentis domesticæ gloriæ dignitatem.

De Materia Numismatum.

PRimus nummus fuit ex ære, ut divitiis assignaretur pondus, sub quo mortales gemere docerentur. Nihil aptius certe potuit eligi ad numismata cudenda, quam metalla, seu commercii gratia, seu memoriæ conservandæ, nam figurata metalla facilius circumferuntur, & difficilius deteruntur.

Alexander Severus necessitate compulsus ex Electro monetam cudit, hoc est miscuit quintam argenti portionem in aureis quatuor, ut Plinio visum est loquenti de Electro, Gallis dicitur *Or bas*, *Or blanc*.

Caracalla cudit adulterina numismata, plumbum videlicet argento, vel auro illitum pro nummis exponens, ait Xiphilinus.

Numa ligneos, & scorteos cudit nummos, quem imitatus est Fridericus Ænobarbus, qui penuria pressus in stipendium militum scorteos nummos distribuit argenteo clavo suffixos.

Ferreis nummis dicuntur usi Lacedæmonii lege Lycurgi, ut impedirentur pondere pecuniarum, nec eis sese onerarent. Dionysius Tyrannus stanneis nummis fertur usus.

Materia communis Numismatum fuit apud omnes nationes aurum, argentum, æs, quod æterna sint metalla; stanno, & plumbo abstinuerunt, quod usu deterantur nimis.

De forma Numismatum.

IN Numismatum figuris tria potissimum videntur consideranda. Et primo quidem occurrit frons prima Numismatis, in qua sculpebatur, ut plurimum, facies Principis. Secundo aversa frons, in qua symbolicis characteribus scribebatur gloria familiarum, vel Imperii. Tertio, Epigraphæ variæ, quibus Numismatis utraque frons sæpissime coronatur.

De

De prima fronte Numismatum.

DIgnissimum omnium spectaculorum sub Cælo est humana facies, ideoque antiquitas ut illustrium virorum faciem faceret immortalem, auro, argento, ære immortaliter expressit.

Illustres animas, & quas ab imagine laudes. Regii, & Supremi juris cum semper fuerit cudendæ Monetæ potestas, nemini unquam licuit nisi Principi supremo faciem propriam imprimere Numismatum primæ fronti. Inde Darius puniit Aryadnem ex Herodoto lib. 4. Histor. pag. 316. Ægypti Præfectum, quod ausus fuisset monetam cudere argenteam, cui propriam faciem impresserat. Eodem crimine Commodus damnavit Perennium, & Severus Plautianum. Unde qui ambiebant Imperium secreto propria facie impressam monetam cudebant, quam deinde spargerent & publicarent. Exosi vero Imperatoris Numismata jussu Senatus semper recusa, & refusa sunt, ut ejus facies aboleretur vel in nummis, quod Caligulæ, Neroni, Domitiano, Commodo, & Heliogabalo contigit.

Consulum tempore nulli licuit in nummis propriam insculpere faciem viventis, sed Triumviris Monetariis A. A. A. F. F. constitutis licuit vel avorum, vel insignium virorum facies insculpere..

Dion,

Dion. lib. 44. testatur Julio Cæsari omnium primo concessum fuisse a Senatu auctoritate publica, ut effigiem sui viventis in nummis sculperet, quod admisit, exemplumque ejus secuti sunt posteri Cæsares.

Unum objicitur, plurima extare Numismata, in quibus visitur facies Junii Bruti, Servilii Halæ, Reguli, Marcelli, Syllæ, Dolabellæ, Pompei, Domitii, &c. Huic dubio multa reponi possunt, & primo quidem hujusmodi Numismata cusa fuisse tempore turbulento bellorum civilium, in quo licebat non quod legibus, sed quod libido, & potestas viribus parata indulgebat. Secundo, non cusa iis viventibus, sed forte ab aliquo Triumviro Monetario, cui Cæsares veniam dabant avorum suorum effigiem imprimendi, præsertim initio Imperii.

Aristoteles in Politicis asserit ideo impressas nummis Principum effigies, ut auctores essent subditis seu de materia, seu de pondere legitimo pecuniarum, cum id omnes sibi facile persuadeant neminem ausurum violare nummum, in quo sit impressa majestas Principis, cujus facies sit ad instar sigilli publici, inde est ut Imperatorum Moneta sacra fuerit appellata. Imo quod adoraretur facies Imperatorum etiam in nummis, sunt qui explicent illud Apostoli: *Avaritia, quæ est Idolorum servitus*, de adoratione faciei Principum in nummis.

Adulterinæ pecuniæ conflatores, imminutæ majestatis rei semper habiti sunt, non tam ob sup-

suppositum nummum, quam quod dignitatem vultus Imperatorii fœdasse crederentur. Inde in Constit. Gratianus & Theodosius. *Plectatur supplicio, qui æternales vultus, dum fraudibus studet, duxerit violare.*

Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 5. epist. 32. *Monetæ debet integritas quæri, ubi vultus noster imprimitur. Quid enim, ait, tutum, si in nostra peccatur effigie, & quam subjectus corde venerari debuerat, manu sacrilega violare festinet?* Et infra: *Sit mundum, quod ad formam serenitatis nostræ adducitur; claritas Regia nihil admisit infectum, nam si vultus cujuslibet puro colore depingitur, multo justius metallorum puritate principalis gratia custoditur; imago Principum subditos videtur pascere per commercium.*

Ea sane fuit gloria apud populos faciem in Monetis imprimere, ut Reges & Imperatores sibi solis licere voluerint, cujus gloriæ tenaces adeo fuere Romani Imperatores, ut Regi Persarum non concederent signare in auro faciem, sed in argento dumtaxat, licet Francis Regibus id concesserint, ut habet Procopius.

Idem jus in Principibus; D. certe Ludovicus bellum movit contra Ducem Britanniæ Petrum cognomine Maucler, seu malum Clericum, quod contra fœdus, quo cavebatur, ut candida dumtaxat; æreaque materia faciem signaret, auro signasset.

Imago Principum impressa fuit vario Numismatum

matum generi, monetario nimirum, honorario, munerario, inde ex monetario dicti Darici, Philippici, Antonini, ex Vopiſco in Aureliano, & in Evangelio: *Cujus eſt imago hæc?*

Honorario Numiſmati.

AD Chilpericum Franc. Regem miſit Tiberius Imperator Aurea Numiſmata quingenta, ſingula libraria, facie propria notata. Cum Epigraphe: *Tiberii Conſtantini perpetui Auguſti*. In averſa fronte currus & auriga. Epigraphe: *Gloria Romanorum*.

Henricus IV. Franc. Rex, Helvetiis Legatis fœdus renovaturis torquem ſingulis dedit quingentorum aureorum, cui appenſum erat Numiſma ſignatum facie ſua. In averſa vero fronte erat Ara, cui innixæ binæ columnæ coronam ſuſtinebant, omnia vero ramis palmeis, laureiſque erant implicata. Ad baſim Aræ programma. *Ex auro Francigena. Anno fœderis renovati effoſſo*. In ambitu Numiſmatis Chronologicum erat programma ejus anni 1602. *Regis ſacra fœdera Magni*.

Cuſum fuit Numiſma ab Herode, cujus prima frons exhibebat caput Antonii. Hac Epigraphe. *Salomoh Melech*. *Salomon Rex*. In averſa fronte templi Icon; Epigr. *Templum Salomonis*. Adulatorie, quaſi Antonius eſſet alter Salomon Templi Reſtitutor.

Mu-

Munerario Numismati.

APpressa facies Principum nummis potissimum in Inaugurationibus. Unde ait Ammianus Marcellinus: *aureos nummos in vultum novi Principis aptarunt*. Justinianus in Novell. *soli Aurum spargere datur Imperatori, cui etiam soli contemnere præstat fortunæ fastigium. Argentum vero Consulibus largiri decens.*

Vultus Heroum, & Deorum.

ROmæ galeatæ cum duabus Alulis virili specie apposita est effigies in nummis Con. sularibus, ut plurimum, in prima fronte.

Præfecti Monetarii Heroum imagines gentilitias apponebant, ita Calphurnia gens a Calpo filio Numæ originem trahens, Numæ vultum in nummis apponebat. Martius Philippus ab Anco Martio Rege, Anci Martii. Tituria Tatii Sabini Regis. Julia, Veneris caput. Claudia gens, Claudiæ Vestalis. Cornelii, Africani, aut Nasicæ, Civitates vultus fundatorum apponebant in Numismatis, Tarentini Tarentis fundatoris Delphino insidentis; quod esset Neptuni filius. Tomitani Tomæ herois hac Epigr. τόμος κτιστής. In aversa fronte Herculem apponebant horum Genium tutelarem.

Virorum Illustrium.

MAgnesii affecti magnis beneficiis a Cicerone in prima fronte suorum Numismatum, caput ejus apposuerunt, in aversa vero facie manum, quæ civicam coronam ferret; Allusum ad eam, quam meruerat Consul. Eumdem honorem Tito Flaminio libertatis auctori Græci tribuerunt hac Epigr. T. Φ. Θ. Tit. Flam. Deus.

Coi Hippocratis vultum nummis apposuerant, Teii Anacreontis, Parii Archilochi, Crotoniatæ Milonis, Samii Pythagoræ, Tarentini Architæ, Smyrnæi Homeri, Mitylenæi Sapphus, Athenienses Cynegiri. Gelon * Rex Siciliæ uxoris imaginem nummis apposuit, cui nomen Demarete, unde nummus dictus Demaretius, imo ipsa Demarete. Gergilii in Phrygia Sibyllæ eorum concivis vultum. Alexander Severus Alexandri Magni faciem. Tiburtini, quod absoluti essent in Senatu ex Lentuli Prætoris industria, ejus faciem nummis insculpserunt. Caligula jussit apponi in nummis imaginem trium sororum, Agrippinæ, Drusillæ, & Juliæ Dearum habitu, omnes cum cornucopiæ: altera columnæ innixa Constantiæ Deam repræsentabat, altera cum patera pietatem, altera cum clave Fortunam. Item matris

* *Uxor Gelonis Regis Damarete filia fuit Theronis Tyranni Agrigentinorum. Fazell. l. 1. Decad. poster. de Reb. Sicul. c. 4.*

matris Agrippinæ vultum appoſuit memoriæ propagandæ gratia.

De Averſa fronte Numiſmatum.

REm infinitam aggredior explicandam, eas imagines nimirum, & charaſteres, qui in averſa fronte Numiſmatum adſcribebantur a veteribus, ſeu Græcis, ſeu Romanis, ſeu Barbaris, qui charaſteres cum a ſola ingenii libertate penderent, per ſe nullis terminis circumſcripti, infinitum prope in numerum excreverunt. Uti tamen commodius diſputare de illa charaſterum infinitate liceat, eam ad definita capita revocabo.

Et primo, De ſacris Deorum, Pontificum, ac ſacrificiorum ſymbolis quæſtionem inſtituam.

Secundo, De Politicis Magiſtratuum, ac Regum inſignibus, de charaſteribus Ludorum, Coloniarum, & aliorum id genus.

Tertio, De Bellicis Trophæorum terreſtrium, & maritimorum inſignibus.

Quarto, De nobilitatis charaſteribus, & gentilitiis ſymbolis.

Quinto, De ſymbolis artis, & ſcientiæ Hieroglyphicis.

Sexto, De ſymbolis moralibus virtutum, & vitiorum.

PRÆ-

PRÆLUDIUM.

GAbriel Simeon Florentinus arbitratur, eos Characteres, qui appingebantur in aversa fronte Numismatum, nihil aliud fuisse quam symbola, quæ nos appellamus [*devises.*] Quæ symbola si erant gentilitia, poterant arma, & insignia familiarum vocari; Inde in ea est sententia de nostris stemmatis gentilitiis, nihil aliud ea esse, quam aversam Numismatum antiquorum frontem: Alibi tamen dicit nos inopia laborare argumenti, qui in aversis Numismatis appingamus sola stemmata, cum antiqui fuerint tam copiosi in appingendis symbolis, & Characteribus tam diversis.

Apud Romanos crescente Magistratuum, quibus erat cura permissa cudendæ pecuniæ, ambitione, extremis Reipublicæ temporibus, familiarum honores apposuerunt Præfecti Monetarii in aversa fronte, ut symbola Sacerdotiorum, Magistratuum majorum, Ludorum exhibitorum, Triumphorum, Templorum consecratorum, & aliorum id genus; cum antea dumtaxat apponerent symbola rei Monetariæ, aut Castrorum signa, vel Victoriam, vel Bigas, vel Quadrigas, inde nomen Victoriati; Bigati, &c.

Sub Imperatoribus, numismatis adscribebant omnes illustres casus; Uti sanitatem Principis per symbola Deæ Sanitatis; ita nuptias, contra

cordiam, expeditiones militares, victorias, omnes demum casus seu bellicos, seu politicos.

De sacris aversi Numismatis Characteribus.

IN Siclo Judæo excudebatur virga Aaron, & vas, in quo servabatur Manna reconditum, in memoriam cælestis utriusque beneficii, & præstiti sibi Sacerdotii. Epigraphe: *Siclus Israel*; & vasi impositum Aleph, quod per se solitarie positum significat vel Adonai, vel Jehova.

Semisiclus, in cujus altera facie adscribebatur radix Balsami, in altera Palma arbor. Utraque symbola provinciæ Palæstinæ, vel potius Circumcisionis, nam folia Palmæ in figuram cultri finguntur a natura, & Balsamum ut colligatur incidi debet arboris cortex non ferreo, sed lapideo cultello. Unde huic Semisiclo erat Epigraphe: *Tempus circumcisionis*.

Item in alio Siclo prima frons guttum habuit, & lanam, symbola Sacerdotalis unctionis. In altera fronte torquis Regius variis unionibus distinctus erat, & multiplici nimirum Regum, & Virorum illustrium serie, ut creditum Villalpandæ, totiusque Sicli symbola denotant Pontificalis, & Regiæ dignitatis apud Judæos concordiam.

In nummo Jubæ Africæ Regis apponebatur Ara, cui serpens erat implicitus. Epigraphe: *G. T. M.* id est, *Genius Tutelaris Mauritaniæ*.

 Æter-

Æternitas Augusta altera manu Solem, altera Lunam præfert in Hadriano.

Providentiæ Deorum fulmen adscriptum, quod est symbolum supremæ auctoritatis; item Character est celebritatis, & auspicium rerum illustrium; unde Ægyptiis amplitudinem gloriæ, & famæ toto orbe diffusæ significabat fulmen. Consiliarium etiam dicitur fulmen, quod eo præsagiantur Principibus rerum eventus, in Antonino.

Antoninus Philosophus Imperator fulmen tenens a Victoria in Nummo coronatur seu æmulus Jovis, seu debellatis, ac fulminatis Marcomannis.

D. Paulina uxor Maximini in cælum rapitur Pavone, sicut Faustina, in aversa fronte numismatis.

Solebant Principes speciem affingere sibi ejus Dei, vel Genii, cui essent peculiariter addicti. Ita Antonius fingebatur in Numismate, Bacchi specie hedera coronati, Augustus Apollinis, Commodus Herculis, Antiochus Epiphanes Dionysii.

Dii Tutelares adscripti in Numismatis, ut Pallas a Domitiano, & Antonino Philosopho, & Caracalla: ita Hercules a Commodo, & Maximiano, Romulus ab Hadriano, Jupiter a Diocletiano, Apollo a Gallieno.

Ita omnes ii Imperatores, qui in Asia res feliciter gesserant, aut Imperium obtinuerant, Solem Orientalium nationum peculiaremDeum co-

coluisse notantur. Ideo sæpius Sol nummis adscriptus invenitur his titulis, *Solis æterni*, aut *Comitis Augusti*, aut *Propugnatoris*, ut in nummis Valeriani, *Conservatoris*, ut in nummis Æmiliani. *Providentia Deorum*, ut in nummis Aureliani: *Soli invicto*, ut in nummo Quieti Tyranni, in quo est adscripta imago Solis nudi radiati Orbem tenentis, ad cujus pedes sedet captivus.

Consecrato Vespasiano caput ejus nummo appositum cum hac Epigraphe: *D. Aug. Vespas.* reliqui tituli omittuntur, quod excellenter in titulo Divi omnes humani tituli contineantur.

Galba, quod esset auctus honoribus a Livia, nummos suos signavit Liviæ imagine, hasta pura, & patera insigni hac Epigraphe; *Diva Augusta*. Justinus lib. L. voluit antiquos coluisse hastas pro Diis; atque adeo solebant illæ adhiberi Deorum simulacris, ut in Cæsaribus Consecratis.

Augustæ & Reginæ consecratæ colebantur in nummis sub imagine alicujus Deæ; Ita Cleopatra ornatu Dianæ se nummis apposuit. Julia Severi uxor specie Lunæ aurigantis hac Epigraphe; *Luna Lucifera*. Sabina Hadriani specie Junonis. Faustina filia specie Veneris. In nummis autem ut plurimum capita Augustarum Consecratarum intra Lunæ semicirculum sculpebantur.

Tanti fecit Cæsar Pontificiam dignitatem suo maximo labore partam, & periculo, ut

ſymbola Pontificia in nummis ſuis plerumque ſculpi juberet; cujuſmodi ſunt capeduncula, guttus, lituus, aſpergillus, ſeceſpita, albus galerus, patera, caput velatum, &c. In ejus item nummo reperitur Elephas cum Dracone, uterque Conſecrationis typus, Elephas quidem (ut habetur apud Suetonium in Claudio,) Draco Heroibus conſecratus, ut patet ex Plutarcho in Cleomene.

Phœnix Orbi ſtellato inſiſtens capite radiato in nummo Conſtantii fidem Reſurrectionis in Chriſto teſtabatur, & novam in cælo gloriam hac Epigraphe; *Felix temporum reparatio*.

In nummo Titi apparet Urna Columnæ impoſita inter duas Lauros. Urna eſt cinerum Veſpaſianī patris poſt conſecrationem poſita inter Lauros.

Vota pro ſalute Principum numiſmati ſignata, ita poſt recuperatam Auguſti valetudinem ſculpta in averſo numiſmate, Corona quernea, ſeu Civica Jovi ſuſpenſa, quaſi Principis ſalus ad Deos potiſſimum referatur.

Idem Auguſtus in expeditione Cantabrica fulmine appetitus vovit Templum Jovi Tonanti, & numiſmati appoſuit. Vide Horat. lib. 3. in Ode *Cælo Tonantem credidimus Jovem*.

De

De Politicis Magistratuum, ac Regum Insignibus, & Characteribus Ludorum, Coloniarum, & aliorum id genus.

ÆGypti Reges nummis adscribebant Silphium, & Sistrum ipsorum insigne, sicut & Hieronymus Siciliæ Rex fulmen. Item in nummis Imperatorum visitur in Clypeo Caligulæ circulus ornatus alternatim Lunæ, & Stellarum figuris. In Hadriani Clypeo apparet eques conficiens Chimæram, in Clypeo Taciti Imperatoris eques præceps, in Clypeo Probi pugna equestris. In Clypeo Alexii Comneni Aper.

Piso Ædilis ab Augusto creatus Annonæ curandæ Præfectus nummis suis apposuit Cererem, & Saturnum, tamquam agri colendi doctores, & Genios agriculturæ, quibus addidit & spicas tamquam insignia Præfectorum Annonæ.

T. Garisius III. Vir e Torrentio in Sueton. Aug. pag. 1362. exhibente nummum, cudendæ Monetæ Præfectus ab Augusto, non modo symbola Præfecti Monetarii, hoc est, forcipes, malleos, incudes, pileum Vulcani, sed etiam, ut Augusto adularetur, apposuit in nummis aliquando Sphingem, qua utebatur Augustus in annulo sigillari, aliquando portam Civitatis, quod Augustus in Lusitania ædificasset Emeritam, &c.

In nummis Augusti adscribitur Sphinx, qua notabat ab omnibus difficillimis negotiis sese expedivisse, sicut Sphinx explicabat omnes nodos ingenii.

Ex nummo Vespasiani licet colligere formam Fortunæ Aureæ Imperatorum, quæ tradebatur successori ad Imperium. Insistit illa Basi cum cornucopia, & clavo, hac Epigraphe: *Fortuna Augusta*.

In nummo item Vespasiani, tradit ille filio Tito Orbem, hoc est Imperium.

In nummo Pertinacis mulier est stolata, quæ recipit de Cælis delapsum Orbem, quo indicabat ille Imperator se Deorum providentia Imperium accepisse.

In nummo Trajani Jupiter est adscriptus cum fulmine, & pallio, quo tegit, & tuetur Trajanum, quo significabat Principes esse sub Jovis tutela.

Valentinianus junior stat in Triremi Angelo ad clavum sedente, hac Epigraphe, *Gloria Romanorum*; qua portendebat gloriam Principis Christiani esse regere Imperium nutu Dei.

In nummo Placillæ Theodosii uxoris sedet Victoria in mediis spoliis, quæ in Clypeo ad Palmam appenso adscribit, Christus, Epigraphe numismatis est: *Salus Reipublicæ*, quo denotat Christi protectioni & Victoriam, & Reipublicæ salutem deberi.

In nummo Severi adscriptæ sunt effigies duorum Liberorum, hac Epigraphe: *Æternitati Imperii.* Verum spes patrem fefellit. For-

Fortuna cum Carnucopia, & prora adscripta in nummo Vespasiani, hac Epigraphe: *Fortunæ reduci*. Designabat appulsu Vespasiani ad Imperium rediisse apud Romanos fortunam & felicitatem.

Typus Rheni, quo deveherentur necessaria, vel, qui Romanos a Barbaris disterminat, & tuetur, in nummis adscriptus hac Epigraphe: *Salus Provinciarum*.

Interfectorum Cæsaris nummi continebant in altera facie caput Libertatis, in aversa fronte Victoriam, quæ Romam sedentem coronaret.

Cæsar Instaurator Corinthi adscribebat nummis Bellerophontem Pegaso insidentem, ac pugnantem cum Chimæra, quod erat Corinthiacæ civitatis insigne. Item appingebat nummis aratrum, vaccam, signa militaria, vexillum Cohortium, & Aquilam Legionariam, & decempedam, quæ sunt symbola Coloniæ deductæ.

In Cassia gente boves jugati apparent, tamquam symbola Coloniæ deductæ.

Augustus Reparator Neapolis, quam in urbem Coloniam deduxerat, notabat nummos effigie Sirenes Parthenopes, quod est symbolum, & insigne illius civitatis.

Commodus in nummo, Herculis habitu juvencos jungit, hac Epigraphe: *Herculi Romano conditori*: Nimirum Romam immortalem, & fortunatam Coloniam Orbis terrarum appellavit, volebat enim suam esse Coloniam, inquit Dio Cassius.

 In

In nummo Hadriani, Agricola tenet aratrum dextera, anchoram finiſtra, hac Epigraphe: *Tellus ſtabilita*. Quod pacato orbe Hadrianus reddidiſſet honorem agriculturæ ſtabilem.

In ejuſdem nummo Imperator togatus adſcribitur dextra ſublevans mulierem genufleſtentem, & Turriti capitis orbi innixam, hac Epigraphe; *Reſtitutori Orbis Terrarum*. Eo nimirum deſignabatur tellus, cujus oppidis Imperator Hadrianus beneficia multa contulerat. Nullus enim Principum fere (inquit Spartianus) tantum terrarum tam celeriter peragravit, ubique beneficus.

Imperatores initio Imperii cudebant nummos, in quibus adſcripta corona Civica his litteris in medio S.P.Q.R. hac Epigraphe; *Ob Cives ſervatos*, illi ſiquidem optabant a clementiæ laude,& paternæ curæ auſpicari Imperium. Unde & titulum Patris Patriæ affectabant. In nummo Auguſti ſimulacrum pacis apponitur alatum, quod Caduceo tangit caput Serpentis, hac Epigraphe; *Paci Auguſtæ*.

Templum Jani a ſe clauſum, Auguſtus nummis ſculpi juſſit; in averſa autem facie appoſuit Orbem, hinc, & hinc ramis Laureis vinctum; in ſymbolum pacis comparatæ bellicis victoriis, hac Epigraphe; *Paci perpetuæ*.

In nummo Antonini Philoſophi Pax, altera manu cornucopiæ, altera protendit facem, qua cumulum armorum accendit, hac Epigraphe; *Pax Auguſta*.

In

In nummo Hadriani, Concordia ſedet, ut ſecura, pateram tenet uti Pacis cum Diis conciliatrix. Spoliis, & cornucopiæ innititur, ut mater Victoriarum, & felicis affluentiæ.

Ludi Sæculares ſymbolis Dianæ, Appollinares Apollinis, Cereales Cereris in nummis exprimebantur. Cæſar, quod Taurum primus in ſpectaculum exhibuiſſet, Tauri imagine ſignavit aliquando nummos.

In nummo Tetrici Imperatoris Tyranni, typus Lætitiæ adſcribitur, quæ gerit dextra manu Diadema, ſiniſtra vero anchoram, hac Epigraphe; *Lætitia Auguſta*. Diadema ſeu Corona eſt ſymbolum Lætitiæ, quod lætantes coronati incedant; indicabat ille Tyrannus ſe aſſumpto Imperio fundaturum Lætitiam publicam.

Forum ſuum nummis expreſſit Trajanus, & Pontem in Danubio ædificatum. Item quod Pontinas paludes ſiccatas ſtraviſſet; & curribus pervias feciſſet, appoſuit in numiſmatis ſuis mulierem humi procumbentem, quæ rotam teneret, & arundinem; Provinciarum ſymbola aliquando in nummis adſcripta, ut Africanæ, quod erat in prima fronte numiſmatis, adſcribitur caput mulieris Galeatæ Elephantino capite; juxta ponitur ſpica & aratrum; in averſa autem fronte Hercules. In alio nummo Auguſti, Pegaſus eſt ſymbolum Africæ; ut habet Golzius.

In nummo Trajani Camelus, & thuris ramus, eſt typus Arabiæ Provinciæ. In

In nummis Hadriani ramus Oleæ & Cuniculus, quorum feracissima est Hispania, est typus Hispaniæ Provinciæ.

In nummo Decii, Dacia Provincia baculo sustinet caput Equinum, in signum bellicæ gentis.

Peloponnesii Testudinem adscribebant nummis, hinc dictus Chelon nummus. Athenienses Noctuam symbolum Minervæ sapientis, inde lusus servi Gylippi Laconis, multas noctuas cubare sub tectis, quod Gylippus esset depeculatus publicam pecuniam, quam Lysander fuerat deprædatus Athenis, eamque sub tegulas tecti abscondisset. Vide Plut. in Lys. Item Athenienses apposuere Bovem in nummis ex instituto Thesei ob memoriam Minotauri a se occisi, aut Tauri Marathonii, aut quod docuisset Athenienses Politiam, & cultum agrorum.

Argivi Lupum, & murem in diversis, Rhegini leporem, Dardanii gallos pugnantes, Tenedii securim, Træzenii Tridentem, quod Neptunum religiose colerent, Cephalenii equum, Locrentes Hesperum Stellam, Chii Sphingem eorum insigne, & Homerum sedentem, ac tenentem manu Iliadem, Smyrnæi Melam fluvium vasi innixum, juxta quem natus fertur Homerus, fluvius autem altera manu Laurum, altera Lyram tenebat. In aversa vero fronte Victoriam, quasi de aliis civitatibus, quæ de Homeri natalibus gloriantur, Victoriam retulissent. Coi inscribebant in nummis baculum Serpente

pente circumvolutum, quod erat insigne civitatis, cujus tutelaris erat Æsculapius.

De Bellicis Trophæorum Terrestrium, & Maritimorum insignibus.

Victoria multipliciter exprimitur. In nummis aliquando Trophæum coronat; aliquando alte volans videtur coronam impositura Duci. Alias Duci stanti, & loricam calcanti, vel clavum, si sit Maritimum prælium, tenenti porrigit coronam, aut Palmam, vel Laurum.

In nummo Cæsaris, in prima fronte Minervæ caput, in aversa Victoria. Est enim Victoria Minervæ parhedros.

In nummo communi Vespasiano & Tito, Victoria basi insistit, ex qua assiliunt duo angues. Per angues invidi designantur, quibus invitis victoria se potitos significabant, aut angues prudentiæ symbolum, qua Victoriam & Triumphos, & gloriam in tuto se collocasse designabant. Vel etiam concordia sua.

In nummo Posthumi, Hercules coronam imponit Posthumo loricato, quo designabat, se Victoriam adeptum esse auctore Deo, & fortitudine sua, æternumque duraturam, ut indicabat Epigraphe: *Æternitas Augusti*.

In nummo Aureliani, in aversa fronte, Laurea Corona hac Epigraphe: *Temporum felicitas*.

In nummo Antonini Philosophi; Virtus Bellica

lica nudo brachio Ancile sustinens, & altero Victoriolam; quo designabat aperto Marte se velle Victoriam consequi, nec indulgentia fortunæ, sed sua virtute evectum ad Imperium.

In nummo Constantini Magni, item & Justiniani, sedet Imperator manu gestans globum, cui victoria insistit, coronam capiti Imperatoris imponens, quasi victori orbis.

In nummo Tiberii, Victoria insidet Orbi stellato, quod victoria de Cælis detur, sedet autem ut ejus æternitatem significet. Sedet in Orbe stellato, quod adeo gloriosa sit, ut una cum stellis radios per orbem diffundat.

Sylla sculpsit in nummo Orbem quadruplici Laurea corona circumdatum, ob quatuor ejus Triumphos de Græcia, Asia, Ponto, Mithridate.

Tanti fecit Pompejus Præfecturam Maritimam, nihil ut frequentius in ejus nummis inveniatur, quam symbola maris, vel Neptunus cum Tridente, vel Triton inequitans feris marinis, vel Acrostolia, Rostra, Delphines, Trophæa Maritima.

In nummo Agrippæ, qui sub Augusto tantum mari potuerat, Neptunus Delphinum porrigit. In nummo Pompei, ponuntur symbola traditi Maritimi Imperii, Sceptrum, videlicet, inter Aquilam, & Delphinum.

Alemannia sedens, & lugens juxta Trophæum Constantini, hac Epigraphe: *Gaudium Romanorum*.

In

In nummo Tetrici, & Floriani, Jupiter ſedet, manuque ſuſtinet Victoriolam, hac Epigraphe: *Jovi Victori*. Victoriam ex ſymbolo in Deum referunt.

De Nobilitatis Characteribus, & gentilitiis Symbolis.

In nummo Antonini Philoſophi in prima fronte facies Commodi, in averſa ponitur Spes, hac Epigraphe: *Principi Juventutis*, cuſum, videlicet, numiſma vivente patre. Ita Diadumeni, Maximini, Philippi juniores.

Porcia gens gloriatur lege lata ne liceat verberibus afficere civem Romanum, unde notabat nummos imagine Magiſtratus cuidam pileum imponentis, hac Epigraphe: *Provoco*.

Reges Macedoniæ Clavam & Leonem appoſuere numiſmatis, originis ſuæ ab Hercule deductæ indices.

Clavus navis communis fuit nota numiſmatum gentis Corneliæ. Papia gens orta Lavinio notabat nummos Lupo, vel Aquila, vel Serpente, quæ erant inſignia illius civitatis.

Sicinia gens in memoriam Sicinii fortiſſimi Romanorum, notabat primam nummorum frontem capite Deæ Fortitudinis, hac Epigr. *Fort. P.R.* id eſt, *Fortitudo Populi Romani*; a verſam vero frontem ſignabat Clava, & Leonis ſpolio, vel coronis, palmis, Trophæis, & donis militaribus.

In nummis Valeriæ gentis apponebatur Galeata Siren cum hastis & clypeo. In eadem quod a Sabinis oriunda esset, illique a Pelasgis, quorum mos fuit, ut unum tantum pedem armarent, ut patet e Macrobio, in Virgilium 7. Ideo gens Valeria signabat nummos Marte, qui alterum tantum pedem armatum haberet.

Vibia gens a Sicilia oriunda, signabat Cereris symbolis, aratro nimirum, spicis, tædis, curru tracto a serpentibus, porca, quæ ei sacrificabatur, & persona ob Ludos Cereales.

Nobilitatis Typus apparet in nummo Getæ, paludamento insignis hastam fert, & statuam velut stemma Majorum.

Gens Cæcilia a verbo Græco ἀκέομαι *medeor* a medicis orta, nummis adscribebat imaginem Sanitatis, & Salutis.

Æmilia gens signabat nummos imagine Æmilii Lepidi, qui Ptolemæi pueri Regis capiti coronam imponeret, hac Epigraphe: *Tutor Regum*. Quod & Ptolemæus moriens tutorem reliquisset filio Populum Romanum, qui ad hoc munus destinavit Æmilium Lepidum.

Claudia gens signabat imagine Claudii Marcelli Opima spolia ferentis, vel Claudiæ Vestalis, quæ patrem Triumphantem, a Tribuno plebis curru detractum eripuit, & currui reddidit.

Cæsaris nummi pleni sunt, vel stella Veneris, vel capite Veneris, vel Ænea cum Anchise, vel Palladio.

De

De Symbolis Artis, & Scientiæ Hieroglophicis.

SAmii in nummo Pythagoræ Sphæram appo-suerunt, in qua stellam Veneris virga tangeret Pythagoras; quod dicat Plinius ejus syderis rationem primum Pythagoram invenisse.

Tarentini in nummo Archytæ Cubum, & Cylindrum apposuerunt, quorum dicitur auctor a Laertio.

In Carbonis nummo apponitur clava Herculis desinens in Caduceum.

In Pomponia gente frequentibus Musarum figuris notantur nummi, Euterpe bifronte Tragœdiæ Præside. Item Herculis Cythara canentis, clava interim quiescente.

Titia gens Pegaso notabat nummos, ob Titium Poetam insignem ejus familiæ, qui floruit sub Tiberio.

Principis providentissimi Sapientia Columna Corinthiaca, cui insidet Noctua; Constantis Imperatoris filii Constantini Sapientiæ symbolum, ad columnas reclinentur, hasta, clypeus, galea; Perinde atque si arma se submitterent Sapientiæ, aut quod sapientiæ debeat esse juncta virtus Militaris.

De

De Symbolis Moralibus Virtutum, & Vitiorum.

IN Herennia gente numiſmatis averſa frons Æneam habet, qui vehit humeris patrem; in prima vero fronte Virginem, hac Epigraphe, *Pietas*.

Pietatis imago in numiſmate Pompeii cognomento Pii, Virgo baculum ſiniſtra, dextra porrigens annulum. Item in ejuſdem nummo duo fratres Catanenſes.

In lecto reclinatum fulmen ſupremi Imperii telum, in nummo Titi clementiæ typus eſt.

In nummo Antonini Philoſophi Clementia pateram tenet, & ſinum pandit, velut aſylum reſerans oppreſſis. Item in ejuſdem nummo clypeata Pallas tutelare hujus Principis Numen.

In Carthaginenſium nummo Juno Tyria, ſeu Cæleſtis inſidens Leoni ſurſum erecto, dextera fulmen, ſiniſtra haſtam puram tenet, hac Epigraphe: *Indulgentia Auguſti*. Juno Dea tutelaris Carthaginis ponitur pro ipſa civitate. Severus Imperator habitus ut Deus ab Afris ob ejus in eos indulgentiam.

Adtexenda plura non cenſui, ne tædium parerem, tum quia hunc guſtum præbuiſſe ſatis duxi.

Appingendum tamen, nondum liquere quid ſignificent in pleriſque Nummis Græcis Imperatorum notæ Γ. ſeu L. inverſæ, & IA. IB. IΓ.

an

an numerum annorum, quibus inierant, gerebantque Magiſtratum Monetales. Præſides, ut Angelonius in Trajano pag. 103. opinatur, L. explicans annum ? an vero Imperii, uti vult Triſtanus tom. 3. Commentar. Hiſtoric. p. 214. in Vaballatho, & ſequuti videntur eos, qui Λ divinarunt λυκάβαντα, id eſt, annum ? Eſſe annorum numeri Notam circumductam ſenſit Caſaubonus in Sueton. Auguſtum cap. 87. at Joſephus Scaliger in Chronicon Euſebii putat eſſe numerum Indictionum Julianarum, Hadrianarum, Antoninianarum, Aurelianarum, Conſtantinianarum. Itaque Ampliandum. Tantumque Nummographorum, qui fuerunt, ſubtexo indicem, ſervata ſerie litterarum, a quibus initium nominum ducitur.

---

1. *Angelonus.*
2. *Joannes Annius Viterb.*
3. *Antonius Auguſtinus.*
4. *Joannes Camers.*
5. *Guilielmus du Choul.*
6. *Cyriacus Anconit.*
7. *Sebaſtianus Erizzus.*
8. *Hubertus Goltzius.*
9. *Gorlaus.*
10. *Gualterus.*
11. *Antonius Guevara.*
12. *Wolfangus Lazius.*
13. *Pomponius Latus.*
14. *Claudius Manetrius.*
15. *Adolphus Otto.*
16. *Petavius.*
17. *Antonius le Pois.*
18. *Joannes Pontanus.*
19. *Joannes Sambucus.*
20. *Joſephus Scaliger.*
21. *Gabriel Simeonius.*
22. *Jzeobus Strada.*
23. *Octavian.*
24. *Triſtanus Sanctamant.*
25. *Æneas Vicus.*
26. *Fulvius Urſinus. &c.*

F I N I S.

FRANCISCI BLANCHINI

DE

LAPIDE ANTIATI

EPISTOLA

In qua agitur de Villa Hadriani Augusti, in Antiati Colonia sita; oraculo Fortunarum, ac templis in ea celebratis; libro Apollonii Tyanei, ibi dicato; & ejusdem asseclis eo confluentibus; necnon de signis celeberrimis ibidem effossis, Apolline præsertim Vaticano, & Gladiatore Burghesiano.

EDITIO SECUNDA.

FRANCISCO AQUAVIVÆ ARAGONIO
Ex Atriæ Ducibus Archiepiscopo Larissensi
SS. D. N. INNOCENTII XII.
Cubiculi Præfecto.

FRANCISCUS BLANCHINUS S. D.

A*Nnum novum Faustum Felicem Optimo Principi SS. Patri Innocentio, Tibique, Præsul Amplissime, ad plures perennaturo, sub tantis auspiciis, in ea, qua nuper ornatus es, Præfectura Sacri Cubiculi, more majorum adprecari simul, & ominari me præcipis; cum jubeas Romanarum antiquitatum, ac litterarum quidpiam conferre, in obsequii tesseram; nempe id genus munera, quæ ad omen diuturnitatis tum ætas nostra, tum superiores dedicavere. Quod enim per dies Saturnalium Colonia Antiatum transmiserit Optimo Principi, ac Restitutori suo effossum in eo litore marmor, Imperatoris Hadriani vultu obsignatum, Cæsareo id more fecisse dicenda est; cum & Augustus eo potissimum tempore distribueret* [a] omnis notæ nummos, veteres præsertim, regios, & peregrinos.

C 3 *Quod*

[a] *Sueton. in vita Aug. cap. 75.*

Quod vero ejus monumenti interpretationem a me requiris per has kalendas, quibus antiquato[a] *per Claudium Principem ambitioso strenarum ritu, litterarum cultores consuetudinem ominis honestius retinuere,*[b] *scriptiunculas invicem missitando, ea scilicet munera, quæ clientis animum potius probarent, quam censum; id veteri ex instituto mihi contingere pro votis arbitror, ac pro antiqua officiorum ingenuitate modo restitui, nutu præsertim tuo, consilio, & commendatione. Excipies igitur omen Augustum in ejus operis testimonio, quod Antiatum navale sexdecim ferme sæculis custodivit: & obsequii significationem in ea lucubratione, quam paro, Te potissimum auspice, ac fidejussore, qui*[c]

Ultro cum petis, ædepol videris
Nostras esse aliquid putare nugas.

I. IN portu Antiati versantibus[d] nuper fossoribus antiqua rudera, quæ ex ruinis ædificiorum congeruntur, ut in materiam cedant pilarum, ac navalis illius, quod Principis providentia restituit, occurrit fragmentum marmoris, pavimento splendidi operis sternendo olim adhibitum, ut ex altera superficie diligenter lævigata, tum ex crassitie lapidis trium circiter unciarum, necnon ex marmoris pretio

a *Dion. vide Bellor. de nummo Anton. Pii pag.* 11.
b *Censorin. de die nat. sub init.*
c *Ex Catull. & Plin. in ep. nuncup. hist. nat.*
d *Circa Decemb. anni* 1697.

tio comperimus; ejus enim generis est, quod inter variata, & nobiliora refertur, ac vulgo dicimus ex flavo colore *giallo antico*, notæ quidem in eodem genere non probatissimæ, attamen supra vulgarem. Qua vero parte solo cohærebat lapis, eam quidem impolitam ac rudem artifex reliquit; duplici tamen signaculo, eoque non satis obvio, insignitam voluit. Nam excavato marmore ad digiti profunditatem, duplex lacuna, & quidem parva, cælata est ad liquens plumbum excipiendum. Et in altera quidem lacuna, eo metallo prius ingesto, mox adhibito nummi typo, qui caput Hadriani referret, imaginem istius Principis expressit artifex, nihil admodum ei dissimilem, quæ frequens occurrit in ejusdem Cæsaris numismatibus, primæ, ut vocant, magnitudinis: in alia vero lacuna, liquenti pariter plumbo oppleta, ubi signaculum quadratum opifex immersit, & subinde eduxit, extantes litteræ redditæ sunt, L. COC. quæ [a], ut infra videbimus, nomen L. Coccel produnt. Quod attinet ad imaginem Hadriani, ipsissima est, quæ caput ejus Principis exhibet in nummis majoribus, laureatum, barbatum, malis, vultuque pleniori: ut intelligas florentem potius ætate eum Cæsarem referre circa primos imperii annos, quam flaccidiorem, ac vergentem ad senectutem circa postremos. Litteræ intra orbiculum globulis designatum de more leguntur in gyrum dispositæ, HA-

a *Vid. inf. num.* VIII.

DRIANVS AVGVSTVS. Verbo dicam. Antica pars eſt ejus nummi, qui in omnibus fere ſcriniis antiquariorum ſervatur ex ære majori, eodem plane modulo, figura, & epigraphe, ſed plumbo hic expreſſa, ope ejuſdem typi, qui æreis numiſmatibus feriendis adhibebatur. Hinc etiam evenit, ut exuberante circa immerſum typum plumbi metallo, quoddam labrum externe ſuccreſceret, eoque leniter inflexo, loculamentum efformaretur, ad tuendam imaginem opportunum: quam etiam munit ſcabra marmoris ſuperficies circa locum ſignaculorum, ſatis idonea ad ſoli occurſum & compreſſionem ab imagine removendam. Hæc ferme deſcriptio eſt marmorei fruſtuli, & ſignaculorum, quæ illi antiquitus inſerta conſpicimus, ac figura exhibet numero I. & II.

II. Moroſiorem fortaſſe me dixeris & curioſiorem in proſequendis hujuſmodi apicibus. Verum arguenti, ut in parœmia eſt, ex ungue leonem diſpar admodum ratio proveniet, niſi ſingula perpendantur. Ut ingenue tamen fatear indicia, quæ inducunt animum ad arguendam lautitiam operum, unde marmoris fruſtulum deſumptum eſt; longe nobiliora jam ſuppetebant artis miracula, ibidem effoſſa, & in Urbem tranſvecta circa finem ſæculi ſuperioris, & circa labentis initium: quæ viam monſtrarent ad loci cultum, & celebritatem ſummopere commendandam. Apollinis enim ſignum in Hortis Vaticanis laudatiſſimum, & celeberrimam Gladiatoris

diatoris Statuam in Burghesianis, necnon potiora ejus Villæ ornamenta, quæ tum exteri, tum cives ipsi mirantur, in Antiati litore, ubi hoc marmor effossum est, reperta novimus patrum memoria, ut mox aperiemus.

Recolendum itaque est cum Historicis, Hadrianum Principem duos præsertim secessus frequentavisse, Antiatem scilicet, ac Tiburtinum. De Tiburtino nihil attinet memorare, tum quod præsentis instituti ea disputatio non sit, tum quod æneis tabulis graphice delineatus jam fuerit a R. P. Athanasio Kirchero, eidem præeunte Ligorio, Cl. Viro; a quo etiam novimus luculento commentario fuisse illustratum, licet usuram publicæ lucis nondum obtineat ea lucubratio. De Antiati vero secessu paullo diligentius est inquirendum; cum ad eum spectasse marmor transmissum indicio sint Hadriani nomen, ac vultus, in altero ex signaculis adhuc extans, & apprime conspicuus.

III. Hoc certe situs Antiatum, ut ex libro Strabonis [a] Cluverius notat, *Principum ocio, atque vacationi ab civilibus curis dicatum erat: ideoque*, inquit, *magnifica ac splendida inibi sunt ædificia extructa permulta excipiendis eorum secessibus*, sive, ut [b] Xylander vertit: *Hodie urbs ea Principum ocio, & vacationi civilium occupationum dicata est: itaque magnifica ibi sunt ædificia permulta, excipiendis, cum eo* com-

a *Cluver Ital. antiqu. lib. 3. pag. 989.*
b *Strabo lib. 5. pag. 232. edit. Casaub.*

commigrant, oblata occasione Principibus. Νυνὶ μὲν οὖν ἀνεῖται τοῖς ἡγεμόσιν, εἰς σχολὴν καὶ ἄνεσιν τῶν πολιτικῶν, ὅτε λάβοιεν καιρόν· καὶ διὰ τοῦτο κατῳκοδόμηνται πολυτελεῖς οἰκήσεις ἐν τῇ πόλει συχναὶ, πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιδημίας. Hoc etiam peræque obtinuit translato imperio ad gentem Domitiam [a]. Nero enim, qui natus Antii fuerat, narrante Suetonio, post IX. menses quam Tiberius excessit, tanto studio natale solum prosequutus est, ut [b] *Antium Coloniam iterum deduxerit*, [c] *adscriptis veteranis e prætorio, additisque per domicilii translationem ditissimis primipilarium: ubi & portum operis sumptuosissimi fecit:* [d] *natamque sibi ex Poppæa filiam ultra mortale gaudium accepit, cum locus puerperio fuisset Colonia Antium, ubi ipse generatus erat*.

Non ita quidem frequentaverunt Antium tres illi Cæsares e gente Flavia, qui sex & viginti annis rempublicam tenuerunt ante Nervam Principem. Delectabatur enim [e] Vespasianus pater *prædiis Cosanis* (locus est in Sabinis) *ubi educatus fuerat ab avia Tertulla: manente villa qualis fuerat olim; ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret*: nec non [f] *Reatinis, ubi æstivare quotannis solebat*, usque ad annum, quem

a *Sueton. in Ner. cap.6.* b *Idem cap. 9.*
c *Tacit. ann. lib.14.*
d *Idem lib.15. Vide Panvin. in ea Col.*
e *Sueton. in Vesp. cap.2.* f *Idem cap.24.*

quem vitæ ſupremum habuit. Domitianus vero [a] *locum ſub Albano monte tanquam arcem delegerat, ubi quotannis certamina poetarum, oratorum, gladiatorumque exhibebat*, uti legimus apud Dionem. Trajanus, ut ego arbitror, nobilitatem reſtituit villæ Antiati [b], cum oram maritimam a Centumcellis ad Bajas, qua portubus, qua viis, qua ductibus aquarum, qua coloniis additis vel reſtitutis iterum frequentaret. Hadrianus denique Auguſtus [c], qui diviſionem perfecit agrorum finitimorum, ſcilicet Lavinii, Laurentis, & Oſtienſis, ab Imperatoribus Veſpaſiano ac Trajano inſtitutas in præciſivis, in lacineis, & per ſtrigas: qui & Ardeatem ita diviſum cenſiit, *Antiatem pariter agrum in lacineis aſſignatum*, uti diſcimus ex [d] Frontino, mirifice excoluit. Verum in Antiati regiam ſuam ſtatuiſſe Hadrianum, qua præ cæteris Auguſtorum ſeceſſibus in Italia ſitis delectaretur, teſtis locuples eſt Philoſtratus, proximus ab eo Scriptor, in vita Apollonii Tyanæi lib. 8. cap. 8. Περὶ δὲ βιβλίου τούτου γνώμην ἀποπεφάνθω μοι, διακομισθῆναι μὲν αὐτὸ βασιλεῖ Ἀδριανῷ· ὅτε δὴ καὶ τινας τῶν τοῦ Ἀπολλωνίου ἐπιστολῶν καταμεῖναι ἐς τὰ βασίλεια, τὰ ἐν τῷ Ἀντίῳ, οἷς μάλιστα δὴ τῶν περὶ τὴν Ἰταλίαν βασιλείων ἔχαιρεν.

Hoc

a *Dio lib. 57. ſub init.*
b *Ex hiſt. nummis &c. Vide Dion. Frontinum &c.*
c *Frontin. de colon.* d *Ibid.*

Hoc est, ut reddit, Cluverius [a]: *De libello autem hoc* [Apollonii Tyanæi] *relatum est mihi fuisse post mortem Apollonii simul cum quibusdam epistolis ejus delatum ad Hadrianum Imperatorem. Quæ omnia Hadrianus collocavit in regia sua apud Anthium* [Græce legimus ἐν τῷ Ἀνθίῳ sicuti supra dixerat Strabo [b] ἐν τῇ πόλει in ipsa civitate Antii:] *qua præ omnibus totius Italiæ regiis villis quam maxime delectabatur*. Cum itaque teneamus auctoris ferme sibi æqualis testimonium, aperte docens, Hadriani regiam, quam cæteris Italiæ anteferret, Antii fuisse sitam, & quidem in ipsa colonia, seu civitate; nemo mirabitur, inde fuisse erutum nobile hoc marmor, vestigium, si fas est dicere, pavimenti, regio cultu & magnificentia strati: & quod huic saxo indita sit effigies Principis, cui ora maritima, & regia coloniæ Antiatis fuit in deliciis.

IV. Neque animum movere debet ad minuendum Hadriani studium erga secessum Antiatem consideratio Villæ Tiburtinæ, per eum adeo magnificenter extructæ; ut compendium totius Orbis a se peragrati in ea quodammodo statuisse professus sit. Novi equidem, tradente [c] Spartiano in ejus vita, quod *Tiburtinam villam mire exædificavit: ita ut in ea & provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Cano-*

a *Cluver. It. Ant. lib. 3. pag. 989.*
b *Vide supra litt. H.*
c *Spart. in vita Hadr. circa fin.*

Canopum, Pœcilem, Tempe vocaret. Et ut nihil prætermitteret, etiam inferos finxit. Ita Spartianus. Contra vero nihil hujusmodi Auctores memorant ab eo tentatum in secessu Antiate. At ex ipso libro Spartiani colligimus, circa supremum vitæ spatium, aut certe post lustratas Orbis Romani Provincias [a], nempe post annum imperii XVII. ut periti Fastorum supputant, perfectam ab Hadriano fuisse villam, quam Tiburi designaverat; ubi etiam novissimum contraxit morbum; cum tamen in Antiati multo antea consuevisset: utpote quæ antiquitus ab Augusto, Tiberio, Nerone, & recenter a Trajano patre suo exculta, & restituta jam esset. Hinc etiam videmus, imaginem Hadriani, plumbo expressam in eo lapide quem exponimus, vultum Principis exhibere pleniorem, eumque ætate florentem, circa primos imperii annos, quibus Antium frequentabat [b], *eoque secessu præ cæteris Italiæ regiis villis delectabatur*. Hoc vero evidentius dignosceremus, si artifici libuisset adversam numismatis faciem in alio loculamento exhibere; cum ex notis titulornm, aut rebus in utraque nummi parte consignatis annum facilius assequi in promtu sit. Neque enim sufficit ad hoc rei decernendum brevissima epigraphe capiti circumducta, HADRIANVS AVGVSTVS: quam ejus fuisse propriam quispiam fortasse opinabitur eo potissimum

a *Vide Co. Mediob. in add. ad Occon.*
b *Vide supra lit. c.*

tissimum tempore [a], quo *Patris Patriæ* nomen differret, *oblatum quidem* sibi *a Senatu statim*, *& iterum postea, sed sero tandem admissum, quod sero meruisset Augustus*. Ne, inquam, id asseramus, si caussa est frequens inscriptio nummorum Hadriani, iisdem plane concepta verbis, etiam in iis numismatibus, quorum adversa pars cognomentum, sive titulum *Patris Patriæ* tribuit Hadriano [b], uti legimus apud Co. Mediobarbum, HADRIANVS AVGVSTVS. Caput Hadriani. Parte aversa LIBERALITAS AVG. COS. III. PP. S. C. Indicium itaque priorum imperii annorum statuimus in vegetiori ætate, quam prodit faciei habitudo plenior, & florens. Nummi istius, sive plumbi conjecturæ suffragatur ætas a Philostrato satis demonstrata, cum describeret Hadriani studium erga villam Antiatem. Siquidem Philostratus ait [c], librum ab Apollonio Tyaneo conscriptum, & nonnullas ejusdem Philosophi epistolas ad Hadrianum fuisse perlatas: qui in regia sua Antiati easdem collocavit. Tum sequitur, scribens, eo confluxisse ex Jonia complures amicos & familiares ipsius Apollonii, qui cum eo plurimum consuevissent: eosdemque narrat incolis oræ Antiatis permixtos florentissimam juventutem instituisse præceptis ejus Philosophiæ, quæ nomen ab Apollonio mutuata, scelestam de se famam,

a *Vide Co. Mediob. ad an.* VIII. *Hadr.*
b *Spart. in Hadr. sub init.*
c *Co. Mediob. ubi sup. an. 8. Hadr.*
d *Philostr. in vita Apoll. lib. 8. cap. 3. & vide sup. lit. f.*

mam [a], tradente Vossio, ad posteros derivavit. Subducentibus itaque nobis rationem annorum a 97. vel 99. æræ Christianæ, qui Apollonio supremus imposturarum, atque, ut credimus, vitæ fuit, ad annum ejusdem æræ 117. quo imperium auspicatus est Hadrianus, apparet, non adeo multos ex Jonia perduci huc potuisse superstites ex iis, qui plurimum cum Tyaneo consuevissent, ductos in Italiam occasione libri, & epistolarum in Antiate secessu depositarum, nisi Hadrianus eas epistolas collegisset, atque adeo villam frequentasset jam tum ab exordio imperandi, quod paullo ante fecerat: cum ante viginti annos diem clausisset Tyaneus remotis arbitris, aut certe oculis omnium se subduxisset: & annis jam ante pulsquam xx. cum eo consuevisse dicendi sint ii, quos ei familiares maxime in Jonia extitisse narrabant auctores consulti a Philostrato. Summa itaque est, consentire utramque conjecturam nuper effossi lapidis, & historiæ Apollonii, ejusque discipulorum, ætate Severi conscriptæ, cum enunciato per Philostratum studio Imperatoris Hadriani erga secessum Antiatem, & cum asserto per nos indicio hujusmodi frequentationis circa priores annos imperii ab eodem Hadriano suscepti. Quæ cum ita sint; nemo nos hariolari arbitretur, cum judicamus, fragmentum lapidis, nuper effossi apud Antium, indicare pavimentum nobilis ædificii, ab Hadriano constructi in regia

a *Voss. de hist. Græc. pag. 531.*

gia villa, *quam præ cæteris Italiæ probabat* circa initia dominationis, cum eo loci confluerent auditores Apollonii, librorum fama, & dedicatione ejus Principis ducti [a], qui plurimum artibus, nimium vero magicis tribuebat.

VI. Confer nunc statuas ibidem effossas, easque præ cæteris laudatissimas, quas ante memoravi, Apollinem scilicet Vaticanum, & Burghesianum Gladiatorem: quæ solæ possent esse instar omnium. His adde reliquas præstantis notæ, quas ibi repertas, & Romam allatas eadem Villa Burghesiana custodit. Insuper eas, quas memorant ibi detectas & huc advectas ad Villam Pamphiliam in monte Janiculo, ut paullo infra aperiam. Dices profecto, in allati saxi plumbeo signaculo, hactenus explicato, satis distinctam ætatis, structuræ, & auctoris indicationem brevissima illa epigraphe contineri, HADRIANVS AVGVSTVS.

Id unum superesse videtur ad fidem rerum, quas hactenus exponebam, ut idonea scilicet proferam testimonia ad docendum, quod in Antiatum ruinis effossa fuerint ea simulacra, quæ memoravi.

De signo Apollinis Vaticani testatur Pyrrhus Ligorius, veterum monumentorum studiosissimus prosequutor, idemque testis idoneus suorum temporum: quo auctore didici ex manuscripto ejus codice, a Regia Bibliotheca CHRISTINÆ AVGVSTÆ ad domesticam ALEXAN-

DRI VIII.

a *Vide Card. Baron. ad ann.* 132, n. 4. & 140, n. 2.

DRI VIII. PONTIF. MAX. ejusque Eminentissimi Nepotis traducto, excavatum fuisse in ruinis veteris Antii Apollinem jaculantem, ἑκηβόλον Ἀπόλλωνα; quod signum relatum vides inter elegantissimas Urbis statuas n. 30. & 31. a Francisco Perrier in libro, quem Romæ impressit anno 1638. En ipsa Ligorii [a] verba. *Fu la Città* [di Antio] *in uno sito piano & ameno nella parte del nuovo Latio, dove al dentorno furono pretiose Ville de' Romani de gli huomini della Tribù Oufentina, e della Pomptina. Nelle rovine d'essa Città fu trovato una statua di quel famoso Apollo, che hora veggiamo in Belvedere, giardino Pontificale, d'ammirabile arte, la quale mostra di stare in atto di trarre con l'arco, il quale figura o la uccisione del Pythone serpente, o delli figliuoli di Niobe, o pure figura i raggi del Sole, &c.* Hæc de signo Apollinis Vaticani.

De Gladiatoris autem statua, ex Antii ruinis ad Villam Burghesianam translata, quam vides [b] in eodem libro descriptam fol. 26. &c. (& in fig. n. VI.) narrat Eminentiss. Cardinalis Carpineus SS. D. N. Vicarius [is nempe, de cujus tum otio, tum negotio, tum etiam domicilio diceret Tullius, ut olim de Villa Varronis [c], *studiorum esse diversorium, in quo jura populi Romani, monumenta majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrina teneatur*] nar-

a *Pyrrh. Ligor. ms. Tomo A.*
b *Fr. Perrier Statue insigni di Roma.*
c *Cic. Philipp. 2. num. 10.*

rat, inquam, ſe accepiſſe ab Eminentiſſimo olim Collega Vincentio Card. Coſtaguto ante annos 37. vita functo; cum is memoraret, patruum ſuum *Jo. Baptiſtam*, Præfectura Sacri Palatii ornatum a PAVLO V. PONT. MAX. incenſum fuiſſe ſtudio Antiatis oræ frequentandæ, ibique prædium comparaſſe; in quo & villam extruxit æmulam priſcæ magnificentiæ, ac potiſſimum delectatione invitatus, quod admiranda anaglypticæ artis opera, ſigna, tabulas, ipſumque in primis Gladiatorem, & complures Burgheſianæ villæ ſtatuas ibidem effodi noviſſet ea tempeſtate. Sperabat enim fore, ut aliquod detegeretur veſtigium antiquæ artis; cum tot in proximo latuiſſent. Verum ſpe fruſtratus nihil admodum reperit vetuſti operis, præter lateres, & ſimulacrum impudici cuſtodis, cui hortorum tutelam antiquitas demandavit. Hæc vero infrequentia, imo ſolitudo, ſi fas eſt dicere, ſcalpturarum loco videtur contigiſſe, quod extra pomœrium ſit antiquæ Coloniæ Antiatum, adeoque diſſitus a villa Cæſarum ab Hadriano culta, quæ [a], Philoſtrato ac Strabone teſtibus, in ipſa civitate conſtructa erat. Fortaſſis etiam illa oræ portio, quam modo exornat villa Coſtagutia, hortis attributa fuit, frequentatis, ut ſuſpicor ex [b] Philoſtrati teſtimonio, ab Apolloniatis ſectæ cultoribus iis, qui ex Jonia mores attulerant Helleſpontiaco tutore dignos [c], notante

a *Vide ſup. n.* II.   b *Sup. num.* II.
c *Voſſ. de hiſt. Græc. pag.* 135. *Vide ſup. n.* IV.

tante Vossio. Ceterum e ruinis Antii, præter Gladiatoris statuam, egestum memorant simulacrum Neronis elegantissimæ scalpturæ, asservatum apud Burghesios: intra pomærium, ut arbitror, dedicatum a popularibus, quod Nero [a] eum locum sibi natalem honore Coloniæ iterum affecisset, suo etiam adjecto nomine. Apollinem vero Vaticanum in eo templo asservatum possumus opinari, quod in exscensu portus Antiatis describit [b] Ovidius, a Cluverio relatus, quum narrat appulsum legatorum ad Romanam oram, qui ad Æsculapium arcessendum missi, anguem ingentem, loco simulacri, advexerunt.

———————Et spissi litoris Antium.
Hac ubi veliferam nautæ advexere carinam
[Asper enim jam pontus erat] Deus explicat orbeis;
Perque sinus crebros, & magna volumina labens
Templa parentis init, flavum tangentia litus.
Æquore pacato, patrias Epidaurius aras
Linquit, & hospitio juncti sibi numinis usus
Litoream tractu squamæ crepitantis arenam
Sulcat, & innixus moderamine navis in alta
Puppe caput posuit; donec castrumque, sacrasque
Lavini sedes, Tiberinaque ad ostia venit.

Ceterum statua Gladiatoris, & reliquæ a Vincentio Cardinali Costaguto indicatæ, compro-

a *Supra ex Suet. & Tacito num. 11.*
b *Ovid. Metam. lib. xv. ap. Cluver. Ital. ant. lib. 3. p. 990.*

probare facile possent eam conjecturam, quam paullo ante prosequebamur, de ornamentis ab Hadriano positis una cum libro Apollonii Tyanei, & schola Græcorum, in regia Antiati. Si enim a Nerone, aut Tiberio, sive ab Augusto ea signa, toreumata, statuæ positæ fuissent, ac potissimum Gladiator ille Burghesianus, ab Agasia Dositeo scalptus; arbitror Plinium istius descriptionem non fuisse omissurum inter celeberrima ejus artis opera, quæ tum in Urbe, tum alibi, ac præsertim in Cæsarum ædibus enumerat naturalis histor. lib. 36. cap. 5.

Quod attinet ad statuas inde traductas ad hortos suburbanos Pamphiliorum, noverunt omnes, in fundo eorundem in Antiate colonia sito, reperta fuisse duo signa pastorum, unius quidem lac expressum e vase porrigentis, alterius vero cum hœdo ludentis, dum inchoaretur recentissimum opus navalis a SS. Domino Nostro restituti. Præterea memorat Petrus Sanctes Bartolus, accepisse olim se a Joanne Francisco Grimaldi socero suo, & Excell. Domus Pamphiliæ architecto, eductas fuisse e ruinis Antii complures elegantis scalpturæ statuas, quæ hodie visuntur in suburbana Villa, ad Janiculum: inter quas potissimum numerat Cybelem, sive Junonem Tyriam, aut Deam Syriam leoni insidentem, & Berenicem stolatam ac stantem, quas æneis tabulis exhibet descriptio Villæ Pamphilianæ typis vulgata.

VII. Ne-

VII. Neque una fuit cauſſa Hadriano, cur frequentaret Antiatem oram circa imperii primordia. Præter eas enim, quas nuper attuli; cenſeri facile poſſet etiam ſuperſtitio non infrequens in cultu Sortis ſeu Fortunæ, quam geminam Antii adorabant.[a] *Vidimus apud Antium* (ait Macrobius) *promoveri ſimulacra Fortunarum ad danda reſponſa. Conſulunt hunc deum & abſentes, miſſis diplomatibus conſignatis, reſcribitque ordine ad ea, quæ conſultatione addita continentur. Sic & Imperator Trajanus initurus ex Provincia Parthiam cum exercitu, conſtantiſſimæ religionis hortantibus amicis, qui maxima hujuſce numinis ceperant experimenta, ut de eventu conſuleret rei captæ: egit Romano conſilio, prius explorando fidem religionis, ne forte fraus ſubeſſet humana. Et primum miſit ſignatos codicillos, ad quos ſibi reſcribi vellet. Deus juſſit afferri chartam, eamque aſſignari puram & mitti: ſtupentibus ſacerdotibus ad ejuſmodi factum. Ignorabant quippe conditionem codicillorum. Hos cum maxima admiratione Trajanus excepit, quod ipſe quoque puris tabellis cum deo egiſſet. Tunc aliis codicillis conſcriptis ſignatiſque, conſuluit, an Romam, perpetrato bello, rediturus eſſet. Vitem centurialem deus ex muneribus in æde dicatis deferri juſſit: diviſamque in partes ſudario condi, ac proinde ferri. Exitus rei obitu Trajani apparuit, oſſibus Romam relatis. Nam fragmentis ſpecies reliquiarum, vitis ar-*

 gumen-

a *Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 23.*

gumento, *casus futuri tempus ostensum est*. Hucusque Macrobius. Porro neminem latet, quo studio teneretur Hadrianus [a] artium occultarum, divinatoriæ in primis, Astrologicæ, ac Magicæ [b]: cujus etiam caussa Antinoum se devovisse narrant, & idcirco ab eo consecratum [c]. Collectæ Apollonii epistolæ, ac liber oraculorum ad eum transmissus, & Antii dedicatus animum hominis probant hisce præstigiis impotenter addictum, sive ut exploraret [d], *Romana consilio*, ut ait Macrobius, ac more domestico Trajani patris, qua demum arte configerentur oracula, & redderentur. Templum itaque Fortunæ Antiatis Hadrianus invisit, multo antea celeberrimum, uti probant [e] Q. Rustii numismata apud antiquarios, [fig. n. III.] inscripta *Fortunæ reduci*, *ac Fortunæ Antiati & Cæsari Augusto* pro ejusdem Augusti reditu, earumque dearum simulacris notata, quæ Antii responsa dabant: eumque propterea locum recensissima fama commendatum ex duplici oraculo, quod sortes (hoc est fraus sacerdotum) reddiderant Trajano consulenti, frequentasse Hadrianum ducimus: hoc etiam studio abditæ artis, & imposturæ sacerdotum dignoscendæ: ac præcipue circa exordium imperii, quod ex Antiati responso cum Trajanus nuper amisisset,

a *Tertullian. vocat omnium curiositatum exploratorem Apolog. cap. 5. Spart. in ejus vita. Vide & sup. n. v.*

b *Vide Auct. rel. a Baron. ad ann.* 138.

c *Sup. ex Philostrato lib. 8. cap. 8. vide sup. n. 3.*

d *Sup. hoc num.* e *Vide Ursin. in fam. Rustia.*

ſet, ipſe obtinuerat. Præterquam quod liber ipſe Apollonii [a] oraculum narrabat, Hadriano conſulenti redditum ex fano Jovis Nicephorii, ut ait Spartianus. [b] *Habuit*, inquit, *præſumptionem imperii mox futuri ex fano quodam Nicephorii Jovis manante reſponſo; quod Apollonius Syrus Platonicus libris ſuis indidit.*

Tot itaque nominibus addictus cum eſſet Hadrianus Antiatum regiæ, oræ, templo, ſortibus, oraculis, artibus; neminem arbitror dubitaturum, quin inſigni quopiam ornamento, aut ſtructura locum adauxerit: cujus veſtigium ſuperfuiſſe dicendum eſt in hoc ſaxo, ejus imagine conſignato; cum ceteroqui Hadrianus *opera ubique infinita feciſſet*, ut Spartianus ait: &, eodem teſte [c], *in omnibus pene urbibus & aliquid ædificaverit, & ludos ediderit*.

VIII. Accedo nunc ad alterum ex ſignaculis plumbeis, marmori noſtro incluſis, in quo litteræ apparent L. COC. hoc eſt compendium nominis Lucii Cocceii: de cujus ætate, profeſſione, ac inſtituto, & cauſſa nominis imprimendi, & quodammodo dedicandi agendum mihi eſſe judico. Vir Clariſſimus *Raphael Abbas Fabrettus*, Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, & omnigenæ eruditionis, antiquæ cum primis, tum ſequeſter, tum erogator (cui & acceptum ferimus ſi audemus aliquid in hiſce litteris, ſi

 bra-

a *Et quidem Tyanei ut arguit Salmaſius: apud quem vide cur Syrus dicatur.* b *Spart. in vita Hadr. n.* 19.
c *Ibi pag.* 175. *edit. Varior.*

brachium toga non cohibemus) monuit, L. Coccejum Architectum memorari in epigraphe templi Puteolani, quam refert Gruterus triplici in loco, pagina præsertim CCXXVII. num. 2. ubi ex Pontano integram dedit: L. CALPVRNIVS L. F. TEMPLVM AVGVSTO CVM ORNAMENTIS DD.: in latere sinistro ejusdem templi.

L. COCCEIVS. L.
C. POSTVMI. L.
AVCTVS. ARCHITECT.

Suasit vero, ut inquirerem, an templum illud Octaviano Augusto dicatum esset; an potius alteri cuipiam ex successoribus; cujus ex ætate constaret, num Lucius ille Coccejus L. Coccei Postumi Libertus Auctus Architectus, ad Imperium Hadriani vitam producere potuisset? Consulenti mihi quotquot ejus ævi scriptores habui præ manibus visum est, ad Octavianum Augustum referri debere templum, ejusque nuncupationem, [ut omnibus ferme placet autoribus, qui de Puteolanis antiquitatibus judicarunt, ac præsertim diligentissimo earundem enarratori [a] Antonio Bulifon, qui novissimus illustravit]; tum quod Augusti nomen Octaviani sit proprium; Imperatoribus vero cæteris addatur tamquam indicium fausti ominis, & maximæ dignitatis: tum quod L. Calpurnius, qui postmodum [b] Præfectus Urbi

a *Ant. Bulif. in sua Guida de' Forest. per Pozzuoli cum addit. edita Neap. 1696.* b *Vide Glandorp. & Dionem ac Paterc. ab eo indicatos.*

bi ab Augusto renunciatus in eo magistratu consenuit [a], usque ad annum x. Tiberii, multis nominibus Octaviano devotus esset; & Coccejus Architectus insignis haberetur Puteolis eodem Augusto imperante. Strabo enim, auctor æqualis eorum temporum, Puteolos cum describeret, atque oram proximam Cumani & Bajani litoris, eosque præsertim cuniculos indicaret, quos hodie miramur superstites, & invisimus [b]; laudat ingenium Cocceii, qui vias aperuerit per fossas & subterraneos ductus, tamquam iis locis admodum convenientes, qui Cimmeriorum, Stygis, & Averni fabulis celebrarentur: eundemque Coccejum æqualem innuit Agrippæ & Augusto: nam hæc apud ipsum legimus: Τοσαῦτα μὲν οἱ πρὸ ἡμῶν ἐμυθολόγουν, κ. λ: idest: *Atque hæc quidem fabulati sunt nobis priores ætate. Nostra vero tempestate, cum sylvam, quæ circa Avernum est, cæcidisset Agrippa, & loca ædificiis occupata essent, actusque infra Avernum Cumas usque cuniculus, omnia ista fabulas esse liquido apparuit: cum quidem Coccejus, qui cuniculum istum duxit, & alium a Puteolis ad Neapolim supra Bajas tendentem, fere secutus sit fabulam istam de Cimmeriis modo relatam: ac fortasse etiam loco huic antiqua consuetudine putaverit convenire, ut per fossas viæ ducantur*. Hæc Strabo. Servius vero ad eum Virgilii versum:

Divi-

a *Tacit. annal. lib. 4. num. 21.*
b *Strabo lib. 5. pag. 245.*

Divinosque lacus, & Averna sonantia sylvis; asserit, Augusto mandante sylvas cæsas, & ex pestilentibus amœna reddita fuisse loca; unde occasio data videtur Puteolanis, aut Calpurnio L. Filio illius templi Augusto dicandi, in quo ejusdem Calpurnii L. Filii, & L. Coccei architecti nomina videmus insculpta. Servius [a]. *Divinosque lacus. Consecratos. Avernum, & Lucrinum, &c. Averna sonantia sylvis. Sane hic lacus ante sylvarum densitate sic ambiebatur, ut exhalans inde per angustias aquæ sulphureæ odor gravissimus aves necaret, unde Avernus dictus est, quasi ἄορνος: quam rem Augustus Cæsar intelligens, dejectis sylvis, ex pestilentibus amœna reddidit loca.*

IX. Lucium itaque Coccejum hunc, Architectum satis celebrem [b], ut supra adnotavimus cum Strabone, eo dignatum honore ducimus tum a L. Calpurnio, tum a civibus Puteolanis, ut nomen inscribere posset operi: raro admodum exemplo: siquidem novimus, apud antiquos in more positum; ne copiam inscriptionis frequenter facerent artificibus ceteroqui peritis, aliquando etiam iis, qui suapte impensa construerent. Testem induco Plinium lib. 36. cap. 5. [c] *Nec Sauron* [inquit] *atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa, Octaviæ porticibus inclusa, natione & ipsi Lacones. Quidam & opibus præpotentes fuisse eos putant, ac sua*

a *Serv. in* 3. *Æneid.* b *Sup. n.* VIII.
c *Plin. lib.* 36. *cap.* 5. *circa fin.*

sua impensa construxisse, inscriptionem sperantes. Qua negata, hoc tamen alio loco & modo usurpasse. Sunt certe etiamnum in columnarum spiris insculpta, nominum eorum argumento, rana, atque lacerta. Severitatem illius moris comprobant ædificiorum reliquiæ: e tot enim millibus earum inscriptionum, quas Gruterus, & ab eo proximi descripserunt, vix aliud reperias exemplum, quam Veronæ in arcu Gaviorum: in quo *L. Vitruvius L. Libertus Cerdo Architectus* locum obtinuit nominis incidendi. Cum igitur Octavianus Augustus omnium optime de Puteolanis meritus fuerit, colonia sui nominis eo deducta, ut[a] Frontinus est auctor, tum additis operibus Juliis, quæ Dio recenset, conversoque in amœnos Elysios pestilenti propemodum agro; cumque id perfecerit per Agrippam, quo sylvas cædente, ac locum ædificiis frequentante Coccejus vias aperiebat, naturæ soli, & fabulis incolarum maxime congruentes, ac inter maxima Romanorum opera communi admiratione censitas; vix aliud opinari possumus de templi Puteolani ætate ac dedicatione, quam id sacratum fuisse Octaviano Augusto a L. Calpurnio L. Filio [qui etiam privato nomine plurimum Augusto debuit, sive is fuerit, cui ab eodem Principe Urbis Præfectura postmodum conlata est, sive Præfectum Urbi cognatione aut genere attingeret] curante L. Coccejo architecto, eodem qui cuniculos duxerat, ejusve gentili, aut

a *Front. de Colon.*

aut liberto, qui patroni nomen & artem profiteretur. Ex quo fit, ut L. Coccejum hunc, Puteolana inscriptione clarum, M. Agrippæ & Augusto æqualem; usque ad Imperium Hadriani superstitem opinari minime possim: cum [a] tres anni supra centenos solidos numerentur a duobus Sextis Coss. quo anno Augustus fato concessit, ad Consulatum Nigri, & Aproniani quo Hadrianus Imperium auspicabatur.

Lucium itaque Coccejum, in plumbeo signaculo saxi Antiatis compendiose adnotatum per litteras L. COC. architectum quidem suspicari par est: eundem tamen dicere, qui templi Puteolani structuræ præfuit, consentaneum indiciis non duxerim. Dicam potius, hominem hunc gentis Coccejæ idcirco adhibitum ab Hadriano in designatione magnifici operis, sive quod artem & nomen a patrono Gentili suo Puteolani litoris cultore habuisset; sive quod ab avo Hadriani Coccejo Nerva adhibitus ad operum curam, & commendatus Trajano fuerit, utpote libertus gentis Coccejæ. Hæc ferme habui, quæ de L. Coccejo indicarem.

X. Quæres fortasse, Præsul Illustrissime, cur Coccejus hic adeo curiosus captator famæ, qui nomen Principis ac suum transmittere ad posteros cogitabat, utrumque occuluerit potius, quam proposuerit. Quis enim dicat proposita, quæ solo latent immersa? adeo ut auctoris fama constare non possit, nisi operis subversio-

a *Vide Occonem, & Mediob., Panvin. &c.*

versione. Hoc vero, si quidquam aliud, indicium est evidens morum, ac temporis Hadriani. Constat enim [a], hunc Principem ædificiorum ubique struendorum auctorem, [cui propterea decretam epigraphen in nummis legimus RESTITUTORI ORBIS TERRARUM], adeo temperantem ac moderatum haberi voluisse in appositione sui nominis, [b] quam Trajanus pater usque ad convicium affectaverat; ut Spartianus asseveret, nunquam id inscripsisse, nisi in eo templo, quod Patri dicavit; licet præstantissimis in omni professione viris præferri vellet, ut infra dicam. [c] *Cum opera, inquit, ubique infinita fecisset, nunquam ipse, nisi in Trajani patris templo, nomen suum scripsit.* Quis vero architectorum ausus esset proprium exponere nomen, cum Princeps a suo temperaret? Adde, quod parcius tribueretur ille honor inscribendi nominis apud antiquos artificibus etiam præstantibus: quod paullo ante cum [d] Plinio observavimus. Imo etiam quandoque per invidiam Principis vetitum legimus, ne actis publicis insereretur. Didici ex catalogo Francisci Junii, quem nuper edidit Grævius: ubi describens translationem ædis mirabilem, nihil laxata compage, factam a [e] Demetriano, Hadriani Augusti architecto; exemplum simile protulit sub Tiberio Principe: a quo deinde subdit

a *Vide supra ex Spart. num.* VII.
b *Aur. Victor. Vide Baron. ad an.* 324. *n.* 117.
c *Spart. in Hadr. n.* 19. d *Supra n.* IX.
e *Alii legunt Deptrianum. Consule Comm. Var. & F. Jun.*

ſubdit artificis nomen de induſtria fuiſſe ſuppreſſum. Ejus verba ſunt [a]. *Tiberio imperante quidam Architectus maximam porticum, jacentem & inclinatam, lana & centonibus circumdatam [credo ne machinarum artificium oculis notari poſſet] funibus & machinis, multorumque hominum manibus admotis, in priſtinum reſtituit firmam & rectam. Quod Tiberio, aliiſque omnibus miraculo fuit: etſi Imperator invidia motus, ne nomen quidem tanti artificis Actis publicis inſeri paſſus ſit.* Invidia vero adverſus opifices, & profeſſores bonarum artium, licet vitium ſit in privatis quidem ac ſordidis nec ferendum, in Principe vero abominandum prorſus ac execrabile, adeo tamen familiare fuit Hadriano, ut eo potiſſimum nomine apud hiſtoricos peſsime audiat [b]. Dionis interpres Merula: *Invidebat autem magis, quam æmulabatur. Quare quoſdam celebres & excellentes artifices, quos æquare non poterat, alios, & quidem frequentes, ſubvertit: alios, ceu ſtudiorum, & artium æmulos interfecit; quippe cupiens omnes in quacumque arte & diſciplina ſuperare. Quapropter Phavorinum Gallum genere, & Dionyſium Mileſium, ſophiſtas tunc egregios, tollere tentavit: ut ſcilicet eorum ſectatores, atque invicem certantes perderet.* Unde celebrem Phavorini jocum Spartianus memo-

a *Jun. ubi ſup. in catalogo Architect. Mechan. Pictor. &c. nuper impreſs. Roterod. 1694.* b *Dio in Hadr. lib. 69. pag. 789. hic reddo ex verſ. Merulæ pag. 24. edit. Aldi.*

memorat [a] . *Et Phavorinus quidem* , inquit , *cum verbum ejus quoddam ab Hadriano reprehensum esset* , *atque illi cessisset* ; *arguentibus amicis* , *quod male cederet Hadriano de verbo* , *quod idonei auctores usurpassent* , *risum jucundissimum movit* . *Ait enim* : *non recte suadetis* , *familiares* , *qui non patimini* , *me illum doctiorem omnibus credere* , *qui habet triginta legiones* . Cæterum Hadrianus etiam de Architectis supplicium sumpsit , Apollodoro sublato : qui ab eo consultus [b] *an recte & commode se haberet ædificium*, inconcinne constructum ab ipso Principe , cum improbandæ structuræ caussas vere ac libere aperuisset , morte luit pœnas libertatis intempestivæ . *Hæc palam cum rescripsisset* [ait Dio] , *iratus est Cæsar* : *& supra modum doluit* . *Videbat sane se id admisisse* , *quod nullo pacto corrigi posset* . *Quare iræ & doloris impatiens eum tolli jussit* . *Talis* , *& ad hunc modum erat Hadrianus* . Hoc enim epiphonemate claudendam esse duxit eam narrationem Dio : qui subdit continuo , etiam in mortuos efferatam invidiam Principis . [c] *Idem* , inquit, *Homeri poemata abolere cogitabat* , *& pro eo Antimachum in scholis legendum inducere*: *cujus nomen multi adhuc ignoraverant* . Non levis itaque caussa fuit L. Coccejo nostro occulendi sub pavimento nominis sui , quod furtim saxo inseruerat : nec improvide factum ab illo dixerim,

a *Spart. in vita Hadr. n.15.*
b *Dio lib.69.pag.789. edit. Aldi pag.14.* c *Ibid.*

rim, ut imaginem Principis simul adglutinaret: eo, ut arbitror, consilio ductus, ne, si forte saxum erueretur, capitale sibi foret nomen artificis mutilum ibi apposuisse, ubi integrum Principis Hadriani cum ejusdem effigie, ex nummo expressa dedicabatur.

XI. Et hunc enim titulum dedicationis obtendere ambitioni suæ poterat Architectus, veluti studiosus officii cum verecundia a se persolvendi. Nam aliquando dedicationes operum ita coercitas, ut ita dicam, & occultatas in ipso epigraphis testimonio demonstrant lapides apud Gruterum, & antiquum signaculum, a me servatum inter privata cimelia, plumbo impressum, nec admodum dissimile huic Antiati; continet enim dedicationis testimonium, & nomen illius, sive numinis cui dicabatur, sive auctoris, magistratus, aut populi, qui colebat, aut dedicaverat: utrumque vero sex litteris compendiosissime expressum, quæ ita leguntur. Vide fig. n. IV.

DD. N.C.P.R.

Gruterus quoque in ænea lucerna, Neapoli effossa, has tradit litteras fuisse cælatas fol. XVII. num. 2.

L. C. I

L. C. I
C. I. C
I.O.M.S

In aliis etiam monumentis fol. eod. n. 3. & 4.

I. O. M	I. O. M
SACRVM	M. I. V
C. C. S	V.S.L.M

Et passim columellis, laminis, tabulis, basibus, aris insculptas memorat initialibus elementis dictionum complures dedicationes, e quibus sequentes dabo

I. O. M	❖
M. R. R	C. I. C.
D.C.V.T	I.O.M.S.
RESTITVIT	❖
Grut. fol. MLXIV. 9.	ibi n. 10.

HERCVLI
MARCVSANO
M. R. R. I. N. F. I. V. I. S
TERTIVS
V. S. L. M
Idem fol. MLXX. n. 4.

Alibi vero integrum nomen ejus qui dedicaret, at numinum appellatio, ac notæ dedicationis per capitales litteras enunciantur.

L. ANTISTIVS	I. O. M
BACCHYLVS	CAELIVS BARO
DD. I. I. M	VOTVM SOL.
	L.M.N.I.O.T. &c.
Idem fol. XVII. n. 6.	fol. III. n. 6.

Priorem epigraphem ita explico: *L. Antistius Bacchylus dedicavit Jovi, Junoni, Minervæ*. Posteriorem Gruterus exposuit, *Jovi Optimo Maximo Cælius Baro votum solvit lubens merito Numini Jovis Optimi Tonantis*. Sed etiam in prolixo epigrammate (fol.ccccxLIIII. num.2.) Collegii Dendrophororum, L. Domitio Dextro II. L. Valerio Messalla Thrasia Prisco Coss. in quo decernitur forma inscriptionis danda statuæ Octavii Agathæ, compendiose notari vidimus P. C. N. *ponendam communi nomine*: & in ea pariter inscriptione prolixa, [fol cx. num. 9.] quam Genio Municipi Nescaniensis L. Postumius Stilicon nuncupavit, hisce litteris dedicatio concluditur P. C. S. N. CVM AL. DEDICAVIT. Quare plumbo apud me servato cum litteris DD.N.C.P.R, quod signaculo quadrato expressum, deinde clavo infixum fuisse constat ex foramine sub littera N, ita legendum puto: *Dedicatum nomine communi populi Romani*: sive *Dedicatum numini conservatori populi Romani*, [ei scilicet quod nominare antiquis relligio fuit [a], uti Macrobius tradit,] vel denique *Dedicavit Nævius Callistratus*, aut *Nævius Cerasus*, sive alius quispiam per initiales nominis litteras N. C. designatus *Populo Romano*.

His igitur exemplis dedicationum non infrequentium tueri facile poterat, aut excusare nominis consignationem Lucius ille Coccejus, qui

[a] *Macrob. Saturn. lib.3. cap.9.*

qui in Antiati marmore legitur: præfixa præsertim imagine Principis: eaque petita ex nummo publice decreto Senatus auctoritate.

XII. Omittenda etiam non est consuetudo propria ætatis Trajani, & Hadriani: quam sequutum se fuisse Coccejus forte dixisset in hujusce signaculi appositione. Frequens enim occurrit in antiquis lateribus signaculum, modo rotunda, modo quadrilatera figura expressum, in quo nomen opificis, & non raro etiam Collegia Consulum adnotantur. Complura hujusmodi comparavit *Illustriss. ac Reverendiss. Præsul Joannes Ciampinus*, eaque concinne secta, & eleganter adglutinata in quasdam veluti perpetuas tabulas scite compegit, ut speciem fastorum præseferant: ornamentum ingeniosissimum Academiæ, quam severioribus disciplinis humanissimus hospitator in Urbe datus aperuit ante annum alterum supra vigesimum, ad plures, ut adprecor, perennaturus. In his tamen lateribus observavi, non occurrere Collegia consulum, quæ non pertineant ad sæculum Hadriani. Pauci admodum lateres nomen Domitiani retinent: eorum vero Principum, qui præcesserunt, nullus. Nerva non occurrit. Trajanus, & aliquot sub ipso Consules quandoque leguntur. Sæpe ii, qui sub Hadriano. Sæpissime qui sub Pio. Quotquot ab isto Imperatores, & Consules annum signarunt, adhuc in lateribus desiderantur: cum tamen constet, amplissima ædificia ab iis excitata, ut Thermæ

 Dio-

Diocletiani demonſtrant : ipſamque urbem a Severo , Aureliano , & compluribus ornatam legamus , reſtitutam , amplificatam . Vix unus inventus eſt Theodoricus Gothorum Rex , qui uſum ſignaculorum in tegulis renovaret , præfixo Regis nomine , poſtquam tot Cæſares prætermiſerant . Ex his igitur indiciis dignoſcimus, hunc ſeu morem , ſeu veniam ætatis Hadriani fuiſſe , ut nomina Conſulum , Magiſtrorum , Officinæ , Fundi lateribus imprimere paſſim liceret : quem propterea morem ſervare poterat citra offenſam Principis etiam Lucius ille Coccejus , qui pavimentum Villæ Antiatis ſterni curavit marmorea tabula , per me haſtenus explicata .

Nimius fortaſſe videbor in epiſtola ; exilior in explicatione . Id voluntati dabis ; hoc indulgebis ingenio . Tibi parebam, *Illuſtriſſime Præſul* , cum ſcriberem . Prolixius feci ; ut diu obtemperarem. Tu leges quamdiu voles. Tantum memineris , Te mihi demandaſſe : ei nempe , qui perquam mediocri cum ſit ingenio , quovis argumento minor futurus erat . Excuſationem improbas ? Accerſo advocatum : eumque concivem meum , ſive , ut ipſe mavult dicere , conterraneum . Ordiebar cum illo epiſtolam : ille mecum perficiet . Defenſionem enim parat ; ſi forte repellis excuſationem [a] ; *Res ardua , inquit , vetuſtis novitatem dare , novis auctoritatem , obſoletis nitorem , obſcuris lucem , faſtiditis*

[a] *Plin. in ep. ad Titum præf. nat. hiſt.*

ditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ suæ omnia. Itaque etiam non assecutis, voluisse, abunde perpulcrum atque magnificum est. Vale, *Præsul Illustrissime;* & qui per exempla Majorum ad hoc fastigium Virtutis evasisti, unde OPTIMO PRINCIPI occurrebas legendus ad exteras nationes legatus, mox etiam servandus sibi; ex edito quem tenes loco, studia litterarum, ut facis; excita; ut soles, fove. Dabam ex Bibliotheca Otthoboniana III. Nonas Januarias MDCXCVIII.


FINIS.



I



II



III



IV



V VI



DISCORSO
DI GIAMBATISTA DONI
GENTILUOMO FIORENTINO

SOPRA UN

MEDAGLIONE SACRO
GRECO D' ORO.

ALL' ILL. E REV. SIG. CARDINALE
FRANCESCO BARBERINI.

LA notizia delle Antichità, ed in specie delle Medaglie, è tanto vaga e dilettevole, e così grata a gli uomini virtuosi e gentili, che non debbiamo maravigliarci, ch' ella sia tanto approvata in questo fioritissimo secolo, nel quale in ogni professione vivono Uomini eccellenti, e massimamente da' Principi di nobile ed elevato intelletto; perciocchè la varietà delle cose, che da esse si apparano è certamente grandissima, e quello che importa assai, non ci va nè lunghezza di tempo, nè fatica inesausta; anzi con grandissima facilità e piacere, e in breve spazio ciascheduno di mediocre letteratura, che abbia commodità di vederne e contemplarne a suo talento, può rendersi in esse perito. Questo è uno degl' infiniti obblighi, che io ho alla benignità di VS. Illustriss. e Reverendiss., poichè da Lei riconosco quel poco di notizia, ch' io ci ho

acqui-

acquistato; mentre col comandarmi di ordinare, e mettere in serie le sue Medaglie e rarità, che sono in tanta copia ed eccellenza, m' ha dato campo di venirne in qualche cognizione, dove per l' addietro appena ne avevo vedute. Di qui è nato, che nel rivolgerle e considerarle attentamente, due ne ho trovato di una sorta non più stata osservata da alcuno; che perciò ho giudicato non fuor di proposito per ora sopra una di queste farci sopra il presente Discorso, non solo per sfuggire in tal guisa il tedio de' caldi estivi; ma molto più per illustrare (per quanto mi comportano le occupazioni di Corte) in qualche parte ancor io lo studio dell' Antichità, come col divino ajuto, e con un poco più di tempo spero di fare per l' avvenire in cose di maggiore utilità. A ciò m' ha insieme incitato per dire il vero l'esempio del Signor Claudio Menestrier, maravigliosamente versato ed intendente in questa professione, il quale è ben presto per dare in luce una raccolta di Medaglie curiosissime, e non più vedute, concernenti ad alcune Colonie Romane, di molte delle quali appena altra notizia ci resta che del nome.

Un' altra cagione ancora, e molto più po-

potente m' ha mosso a fare un' altra fatica, e questa è l' Opera, che ho fra mano delle inscrizioni antiche, delle quali ne ho fatto una buona Raccolta con pensiero di pubblicarle con molti instrumenti o scritture antichissime, che oggi pure si conservano in scorza d' albero, dalle quali non meno che dalle Inscrizioni, grande utilità, s' io non m' inganno è per risultarne al pubblico per la cognizione di molte cose, che così da quelle, come da questi, e non altronde si puol cavare. Ciò ho voluto accennare per invitare le persone amorevoli, del ben pubblico zelanti, a contribuire a questa mia fatica, con mandarmi copia di quelle Inscrizioni ed Instrumenti antichi, che potranno avere, che per l' addietro non siano date in stampa; assicurandoli, che di tutto si terrà memoria nel libro, nel quale verranno diligentemente registrati, acciò anch' essi vengano a parte della lode, che, com' è ragionevole, a chi giova all' universale è dovuta: dichiarandomi, che per Inscrizioni antiche, cioè per quelle, ch' io disegno pubblicare, non intendo solamente le Pagane, o Gentilesche, ma eziandio le Cristiane insino all' anno mille in circa, (che delle più moderne ancora, dove contengano qual-

qualche cosa di notabile, è da tener conto) le quali sì per l' oscurità e caligine di quei tempi, come perchè molte di esse contengono qualche sacra erudizione, non siano da me tralasciate, come da molti sono state, che per avventura non reputarono utili se non che le antichissime. Gradisca VS. Illustrissima colla sua solita umanità questo piccolo dono, che io le offero, benchè sia già totalmente sua cosa, natale come si dice in casa, e con ajuto di cose sue, e da persona dedicata del tutto al suo servizio: e se questo parto del mio debole ingegno non gli è discaro, spero di trovare un' altra volta qualche suggetto di composizione molto più proporzionato, e convenevole alla grandezza, e preeminenza Sua.

Di VS. Illustriss. e Reverendiss. &c.

In fine di questo Discorso, nell' Originale Doniano si legge questa Lettera Dedicatoria di pugno del medesimo Doni.

La

LA presente Medaglia Greca d' oro, come ben si vede, è Cristiana; e non è moneta fatta per spendere; ma pura Medaglia di divozione. Come sembra, è servita per attaccarsi, e portarsi al collo; costume, che pure oggidì si pratica molto presso i Cristiani Orientali, come mi vien riferito da persone di quei paesi; tuttavia tengo per fermo, che non servisse già per questo, ma per altro simile uso, che saria difficile l' indovinarlo: basta, che apertamente si conosce, che quel cerchietto che la circonda, vi è aggiunto di poi; il che ci assicura non solo la qualità dell' oro, ch' è di lega molto inferiore a quello della Medaglia, quale si vede essere purissimo; ma anco l' incassatura, che a chi ben la riguarda, si fa manifesta. L' antichità sua malagevolmente si può sapere per l' appunto; non vi essendo segno, che ne dia certo indizio; nè meno dall' essere stata trovata in Tunisi, si possono cavare congetture onde ciò si rintracci, sendo agevol cosa, che sia capitata in qualche parte per via de' Corsari Affricani, che la possono

ſono aver rubata a qualche Criſtiano Greco. Non dirò già, che ella ſia ſtata veduta in Affrica avanti il tempo di Maometto; perchè dalla qualità del diſegno, che è aſſai rozzo e goffo, e dalla forma delle lettere ſi vede, che non può eſſere di tanta antichità: ben mi perſuado, che ella poſſa avere intorno a ſette, o ottocento anni di età per qualche contraſſegno, che poco appreſſo accennerò.

In uno de' lati [che non c'è diſtiuzione di diritto, o roveſcio] ſi vede effigiata la fuga di Gesù Criſto noſtro Signore in Egitto, nel modo ordinario con che ſi dipinge in collo della Beatiſſima Vergine, che ſi vede ſopra un'aſinella, accompagnata dal ſuo Santo Spoſo Gioſeffo; ſe non che il povero Artefice per dimoſtrare più eſpreſſamente queſta ſacra Iſtoria, v'ha aggiunta di più una figura di donna con la teſta coronata di torri, e col cornucopia nella ſiniſtra mano, la qual figura rappreſenta l'Egitto, nella maniera, che gli antichi eſprimevano le Provincie, i quali figuravano una donna con quelli arneſi, inſtrumenti, o animali, che erano proprj di quel paeſe, e per li quali a prima viſta ſi diſcerneva, che Provincia foſſe quella: e queſto è il principal contraſſegno, che io ho della ſua antichità, poichè ne' tempi più baſſi non ſi vede, che ſimile invenzione ſia ſtata praticata, ſino a che poche centinara d'anni ſono inſieme colle più polite ſcienze, queſta delle Immagini Poetiche non ſi è ridotta al ſuo antico

tico ſplendore. Poteva ben l' arte accoppiare a queſta figura o il Coccodrilo, come in alcune Medaglie di Auguſto, o il ſiſtro con l' Ibide uccello, come in alcune altre d'Adriano per maggior dimoſtrazione; ma eſſendo già per ſe ſteſſa l' Iſtoria così nota giudicò, che baſtaſſe l' adornarle la teſta con le torri, per dimoſtrarla la Provincia: o forſe anco per rappreſentare un paeſe popolatiſſimo e pieno di città, ed abitazioni; come era l' Egitto; il quale, benchè di mediocre ſpazio, ſe dobbiamo dar fede a Erodoto, conteneva già ne' ſuoi confini ventimila Terre murate; avvegnachè oggi, come bene oſſerva l' Ortelio, non ne contiene la centeſima parte. Il cornucopia vi è poſto per differenza ſpeciale, avendo riſguardo alla tanto celebrata fertilità ed abbondanza di quel paeſe.

Più degna di oſſervazione è la ſtella, che quì ſi vede, che altra non può eſſere che quella, che ſervì per ſcorta a i Re Magi, la quale, comecchè ſi deve credere, che ſpariſſe dopo aver fatto l' uffizio ſuo, e l' eſſerſi partiti i Magi dal Preſepe; tuttavia pare, che chi coniò la Medaglia, credette, che ella foſſe durata inſino a quel tempo, nel quale il Bambino Gesù per fuggir la rabbia e crudeltà d' Erode, ſi ritirò in Egitto; parendogli forſe ragionevole, che ſiccome ella avea ſervito a gli uomini, ed a i ſervi, così anco doveſſe ſervire a Iddio e Signore degli uomini: o pure avendo riſguardo, che ſic-

ſiccome per la medeſima ſtrada gli Ebrei camminarono già dall' Egitto nella Terra di promiſſione con la guida d' un celeſte fuoco; così per il contrario andando Gesù dalla Terra di promiſſione in Egitto, foſſe guidato da una Stella, che pure ſi dice fuoco celeſte. Comunque ciò ſia, elegantemente queſta Stella vien chiamata da Elia Cretenſe ſopra la quarta Orazione di S. Gregorio Nazianzeno, Πρόξενος; nome, che propriamente ſignifica *guida* e *conduttore* de' Foreſtieri, e che le conviene beniſſimo, mentre accompagnava quel Divino Bambino con la ſua piccola comitiva in paeſe non ſolo foreſtiero, ma tanto diverſo di lingua, coſtumi, religione, e ſepolto nelle tenebre di una miſerabile Idolatria. Di queſta Stella S. Cipriano dottamente ſcrive così: *Ad confuſionem Judæorum, ut Nativitatem Chriſti a Gentibus diſcerent, oritur in Oriente Stella, quam futuram Balaam cujus ſucceſſores erant* [Magi] *vaticinio noverant*.

Le parole, che ſono nel giro della Madaglia da queſta parte ſono:

ΕΙΔΟΥ ΚC ΚΑΤΕΙΤΕ ΕΠΙ ΝΕΦΕΛΗC ΚΑΙ ΕΞΕΙ. ΕΙ ΑΙΓΥΠΤΟΝ

Cioè: *Ecce Dominus ſedet ſuper nubem levem, & exit in Ægyptum*: le quali ſon preſe dal Cap. XIX. della Profezia d' Eſaia, dove la Verſione Vulgata legge: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum*: ſignificando l' iſteſſo col tempo futuro, che col tempo de' Settanta col preſente; in vece delle quali

quali parole Aquila legge : Ἰδοὺ Κύριος ἐπιβαίνει ἐπὶ πάχος ἐλαφρόν : cioè , *Ecce Dominus ascendit supra caliginem nebulæ levem*. Ma è da notare la corrotta ortografia propria de' tempi bassi (perchè ne' tempi più antichi, come si vede per le Inscrizioni, i Greci furono in questo esattissimi, e molto più accurati de' Latini) e la mutazione di alcune lettere, che dovevano esser queste :

ΙΔΟΥ ΚΥΡΙΟϹ ΚΑΘΗΤΑΙ ΕΠΙ ΝΕΦΕΛΗϹ ΚΟΥΦΗϹ
ΚΑΙ ΕΞΕΙϹΙ ΑΙΓΥΠΤΟΝ.

in vece delle quali notisi prima l'ΕΙ nell' ΕΙΔΟΥ, posto non perchè si proferissero in quei tempi i dittonghi in cambio delle vocali semplici (che anzi il contrario si è praticato da poichè la vera e buona pronunzia così nella Latina, come nella Greca lingua s'è persa da molte centinara d'anni a dietro) ma perchè questo avverbio ΙΔΟΥ *ecce* non è altro in effetto, che l'imperativo del verbo ΕΙΔΩ ; quel κάτητε in luogo di κάθηται è effetto di questa corruttela ; poichè pronunziandosi l'ΕΙ per Ε, e non distinguendosi il suono d'ΕΙ, Η, & Ι ; fu agevol cosa a chi improntò la Medaglia, d'incorrere in qualche errore.

Vi si vede finalmente lasciata una sillaba, che è questa ϹΙ in ΕΞΕΙϹΙ, senza le quali sarebbe in tempo imperfetto, e non presente [a].

(a) Dice che è lasciata una sillaba cioè ϹΙ ; e che perciò dovevasi scrivere ΕΞΕΙϹΙ.

Ma veramente nel testo Greco si legge : ΚΑΙ ΗΞΕΙ ΕΙΣ ΑΙΓΥΠΤΟΝ sicchè sta bene ΕΞΕΙ, e mai deve essere aggiunta sillaba alcuna. Lo

Quelle abbreviature $\overline{\text{KY}}$ $\overline{\text{IY}}$. $\overline{\text{XY}}$. per KYPIOY IHCOY XPICTOY ſono uſitatiſſime preſſo i Greci, come ſi vede ne' monumenti, onde è ſuperfluo il parlarne.

Varie ſono le ſpoſizioni di queſto luogo; perchè alcuni Padri l' interpretano in ſenſo allegorico della liberazione del Popolo Egizio dalla Idolatria, intendendo per *nubem levem* il Batteſimo, per quelle ragioni, che adduce S. Cirillo Aleſſandrino ſopra il detto Capitolo del Profeta, a cui piace queſta eſpreſſione. Per il contrario altri, come S. Gio. Griſoſtomo ſopra S. Matteo al cap. 29., intendono la Profezia *ad litteram* di queſta andata di Gesù Criſto in Egitto, eſponendo *nubem levem* per il medeſimo corpo di Criſto, come fa il detto Santo Dottore; e vien riferita anco da S. Cirillo nel citato luogo, il quale moſtra, che con ragione la Sacratiſſima Umanità di Criſto ſi figura per una nuvola leggiera, atteſo che ella fu veramente puriſſima e libera da ogni moto e peſo terreſtre, cioè ſenſuale. Altri poi per *nubem levem* intendono la medeſima B. Maria Vergine, la quale reſſe il piccolo Gesù fra le braccia, come qui ſi vede, mentre in Egitto ſi fuggiva: ſopra il qual paſſo Procopio Gazenſe dot-

Lo sbaglio ed errore conſiſte, che l' inciſore ha ſcambiato al ſolito le vocali, ponendo E in vece dell' H.

Siccome ha poſto EI invece di EIC *in*.

Dunque, quando dice il Doni, che doveva eſſere ſcritto EΞΓICI AIΓYΠTON, biſogna emendare, e ſcrivere HΞEI EIC AIΓYΠTON.

dottamente discorre della convenienza del Corpo di Gesù Cristo con la nube; perchè siccome la nube è composta d'aria e di terrestre esalazione; così il corpo di Cristo fu formato di Spirito Santo, e della sustanza terrena, cioè carnea dalle immacolate viscere di Maria Vergine.

Nell' altra faccia della Medaglia si vede effigiata l'Ascensione di nostro Signore fra quattro Angelì, che lo sostengono, due per banda, e l'accompagnano al Cielo. Sotto vi si vedono i dodici Apostoli con la Beatissima Vergine, e in tutto sono tredici figure; alzando tutti la faccia e le mani verso il Cielo in segno d'ammirazione e di accompagnamento. Gesù similmente alza la destra in segno di benedizione, benedicendo veramente e Maria, e gli Apostoli, ed i suoi amati Discepoli, ch' egli lasciava consolati con la sicura promessa della vicina venuta dello Spirito Santo: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ: & cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Act. Apost. cap. 1. v. 8. & 9. E S. Chiesa: *Elevatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cælum.*

Le parole poste sotto son queste: Η ΧΑΡΙϹ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΗΜωΝ ΙΗϹΟΥ ΧΡΙϹΤΘΥ ΜΕΤΑ ΠΑΝΤωΝ ΗΜωΝ. Cioè. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

 CVM

CVM OMNIBVS NOBIS . Sono ſimilmente parole di benedizione, preſe dalla ſeconda Epiſtola di San Paolo a i Corinti , dove nel fine così gli ſaluta, e benedice : Ἡ χάρις τοῦ Κυρίȣ Ἰησοῦ Χριςοῦ, ϗ ἡ ἀγάπη Θεοῦ, ϗ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίȣ Πνεύματος μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio S. Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Saluto ſolennizzato in altri luoghi delle ſue Epiſtole da quel glorioſo Apoſtolo, che fu tutto ripieno di carità e di grazia celeſte . E queſto è quanto così eſtemporaneamente m' occorre dire circa il ſentimento di queſta Sacra Medaglia, che non ha biſogno d' altra dichiarazione .

IL FINE.

CLA-

CLARORUM
VIRORUM
EPISTOLÆ
ALIQUOT
ANTEA NONDUM EDITÆ.

DOMINICI GEORGI
AD SCIPIONEM MAFFEIUM IN OBITU PHILIPPI A TURRE.

DEfuisse plane viderer, vir Clarissime, omnibus humanitatis officiis, si tibi de rebus a Philippo a Turre Adriensi Episcopo praeclare gestis (quem nuper e vivis ereptum fato nimis acerbo lugemus) e doctissimo viro Comite Camillo de Silvestris sciscitanti, nullum, quo probitatis, atque integritatis ejus fama praesertim celebratur, ego etiam argumentum suppeditarem. Quod quidem ut efficerem Comes idem eruditissimus consilio, & auctoritate impulit, quippe qui integerrimum Praesulem propius noverim, & res ejus pie, sancteque gestas praesens diu suspexerim, easque religione testatas comprobare possim. Quamquam vero haec animo reputanti mihi lacrymae identidem excutiuntur, cum de calamitate maxima, & de jactura maxima doleam, parcam tamen dolori meo, ut ornamenta virtutum omnium grata memoria prosequar, & hoc pietatis studio praestantissimo Antistiti quodammodo parentari contendam. Libet sane so-

lari triſtitiam noſtram, cum non modo tempus omne, quo Epiſcopum egit, verum etiam vitam omnem inquirentes nonniſi ſpectatæ innocentiæ monumenta habeamus. Summa erga Deum vel a teneris annis pietate fuiſſe, perſpectum eſt in ea urbe, in qua nobilibus Parentibus longa inter proceres cognatione junctis natus, & educatus fuit. In ipſa enim adoleſcentia inter Canonicos inſignis Eccleſiæ Civitatis Fori Julii relatus eſt, & patriæ Urbi per tempus idem, quo domi moratus eſt, extitit ornamentum. Romam inde profectus, in expediendis negotiis, & controverſiis, quæ ad Sedem Apoſtolicam,nimirum ad eas Congregationes, quibus Eminentiſſimus Card. Imperialis præerat, diſcutiendæ deferebantur, egregiam ille operam navavit, cum Auditoris officio pro ampliſſimo Cardinali defungeretur.Qua vero vitæ, ac morum integritate Romæ vixerit, id argumento eſt, quod cum de Pontificio Legato ob res Fidei componendas ad Sinarum Imperatorem mittendo, ageretur, percontarentur ab eo ſummi viri juſſu Pontificis Optimi Clementis XI. num eam provinciam obire vellet, ſed non ſatis firma corporis valetudine præpeditus, eximium illud munus defugere maximo cum animi angore coactus eſt, miſſuſque loco ejus Thomas Maillard de Tournon, qui purpuram promeritus variis in eo Regno pro Catholicæ Eccleſiæ incolumitate confectus ærumnis, ad perennem felicitatem migravit. Aliam

tamen

tamen provinciam ei paulo post decrevit Pontifex Summus, & ad vineam Domini excolendam, nimirum ad Adriensem Episcopatum eum destinavit, multo ante prospiciens rerum omnium arbiter, quanto studio, ac sollicitudine pro Dei gloria, tam grave, & praeclarum munus esset expleturus. Novimus profecto, quasi per imaginem, virtutes ejus (antequam eum de facie) ex ipsa elegantissima Epistola, quam Clero, & Populo Adriensis Dioecesis misit. Fassus est in primis ,, se in Episcopatus onere ,, subeundo admoneri, vocatum esse non ad ,, gaudium dignitatis, sed ad Crucis patien- ,, tiam, non ad gloriam, sed ad humilitatem, ,, & non ut Imperium obtineret, sed ut esset ,, paratus immolari pro grege ,,. Et vero ubi ad Ecclesiam ipsam administrandam se contulit, exemplar Virtutum omnium in eo licuit intueri, & in id primum incubuit, ut pietatem in populo; Ecclesiasticam disciplinam, optimos mores, & literarum studia in Clero promoveret, ac restitueret. Dioecesim subinde universam identidem lustrans, verbo Dei, opere, ac divinis Praeceptis Fideles recreabat. Quo in munere obeundo, praesertim vero in verbo Dei tradendo, & rudibus Christiana scientia imbuendis, ita flagrabat, ut ter, & quater quandoque singulis diebus in Visitatione sermonem ad Populum haberet, ex quo in febrim incidit, quae integro mense male affectum adflixit, & Visitationem tunc intermittere coegit. Clericorum

corum corruptos mores, lites, diffidia, contentiones, quæ inter plebejos homines oriri solent, charitate tanta, sapientia tanta composuit, ut quorumdam pervicacia blande repressa, ipsi exinde eum summo amore, ac obsequio prosequerentur. Viderat enim pro singulari qua pollebat prudentia, *Episcoporum esse, ut subditis præsint, non ut in eis dominentur, sed illos tanquam fratres, & filios diligant*. Itaque ubi opus erat in subditorum criminibus corrigendis, benevolentia, hortatione, lenitate agebat, atque adeo omnes in officio continebat, & ab illicitis deterrebat. Ubi vero medicinam morbis ovium adhibendam esse animadverterat, accersitos quotannis Sacerdotes Congregationis Missionis Ferrariensis ad omnia fere Diœcesis loca destinavit; qui sane viri prædicatione verbi Dei, doctrina, & exemplo ita profecerunt, ut probos quosque homines ad pie sancteque vivendum magis accenderint, obstinatiores autem, qui multis annis peccatis obstricti fuerant, ad pœnitentiam agendam compulerint, & ad meliorem frugem adduxerint. Egentes Viduas, ac Virgines ne fame periclitarentur, in tuto collocarunt, quibus victum, & opem pius Antistes suppeditavit. Tanta profecto hujus Instituti fama percrebuerat, ut ex aliarum Diœceseω̃n Locis homines innumeri confluerent, & uberrimum fructum omnes perciperent. Neque vero in procuranda animarum salute tantum, labor ejus, & cura fuit,

fuit, sed liberalis in pauperes, egentesque, quibus aliena misericordia vivendum est, divini Præcepti non immemor in iis sublevandis effusis opibus contendit. Virum delegerat integræ famæ, ac probitatis, certa pecunia, eaque non modica, quolibet mense constituta, qui pauperum, & miserarum Viduarum, & morbo laborantium domos inviseret, ut pro cujusque egestate pecuniam distribueret, ratus nullo cum uberiori fœnore eam impendi posse, quam si eorum difficultatibus, & angustiis opitularetur. Quot quot ipsum adibant, & aut precibus, aut supplicibus libellis oblatis, opem flagitabant, stipem largiter iis erogavit, nec unquam vacuos dimisit. Intelligebat profecto, se non *ad propria commoda, non ad divitias*, in ea dignitate constitutum esse, sed ut re, & opera egentium incommodis occurreret: conquestus interdum dolere se, quod Episcopales redditus exigui essent, ad tantam in pauperes effundendam pecuniam, quantam ille in eos caritate flagrans, optabat. Itaque modesta supellectili & frugali victu contentus, reliquos redditus, tanquam patrimonium pauperum in pias res erogavit, & in rationum libris millia nummum non pauca in hæc impensa apparent. Paternam quoque pietatem præstitit laborantibus extremo morbo. Etenim ad Pontificiam benedictionem iis impertiendam, quacumque hora accerseretur, properabat, verbisque Spiritu Dei plenis ægros solabatur, & indigentibus

bus pecunia ſuccurrebat. Hæc tam præclarà agentem Deus Optimus Max. ad immortalem gloriam evocavit. Atque hic libet animadvertere, quam enixe erga Deum jam moriturus eſſet affectus. Cum ex anteactis in omnium ſtudiorum genere laboribus, & in Eccleſiaſticis rebus præſertim illuſtrandis, & in promovenda totius Diœceſis diſciplina, ardore incredibili raperetur, lithyaſis morbo premi cepit a pluribus menſibus, gravioremque expertus Januario menſe ineunte in febrim incidit, levem quidem per dies nonnullos, ſed extemplo morbi vis ingruit, hæſitationeque linguæ in vitæ diſcrimen adductum ſenſimus. Hinc Sacramentis muniri, hinc inter mortis angores Deum exorare ſuppliciter, totoque animo conteri, prolatas preces voce excipere, ac identidem manus ad cœlum tendere vidimus. Exhibitam Chriſti in Cruce pendentis imaginem ingemiſcens deoſculabatur, objicienſque oculis veniam expoſcebat. Demum per multas horas extremo ſpiritu exanguis efflavit animam. Qui tunc fuerit urbis hujus luctus, & ſquallor, cum omnes Epiſcopum immortalis famæ, ac nominis, vitæ innocentia, pietate, prudentia, & omnibus animi ingeniique ornamentis excultiſſimum ſublatum nobis intueremur, facile conjectare te arbitror. Porro de morte ejus, tanquam de communi jactura, non modo urbem hanc, ſed Italiam totam, & optimis artibus imbutas Europæ regiones, doluiſſe

luisse credimus. Quod enim genus litterarum fuit, in quo vir habitu naturæ prope divino non enituerit, & in antiquitatis monumentis illustrandis nostra hac hominum memoria, vel præstantius, vel ornatius scripserit? Verum, quæ ad doctrinæ famam pertinent, consulto silentio præterire duxi, & de iis tantum certiorem te facere constitui, quæ ad integritatem, atque innocentiam ejus singularem spectarent. Quæ quidem non ex aliis audivimus, sed manifesto comperta, & perspecta per annos nonnullos oculis nostris vidimus. Adscitus enim inter Familiares ejus, & Epistolarum conscribendarum munere defungens, tantas, ac tam præclaras suspexi, & meo graviori detrimento effectum est, ut jacentem, amissumque Patrem optimum lugerem. Sed in maximo dolore meo hoc veluti officio supremo solatium habere, & præclarissimi Antistitis memoriæ obsequi videor, & gratiam aliquam apud te inire posse spero. Tibi vero, vir clarissime, quem ille vivens eximio studio, ac benevolentia, pro tua ingenii, ac summæ doctrinæ præstantia, prosequebatur, & qui de eo demortuo etiam humanitate tanta, in celebrandis, colligendisque laudibus suis optime promereris, gratias habebit ex felicitate perenni, qua fruitur, & viri optimi habebunt, qui mortem ejus ægerrime tulerunt. Vale.

Dabam Rhodigio VII. Id. Majas MDCCXVII.

MI-

MICHAELIS ANGELI GEORGII
Patricii Vicetini, & publicæ Bibliothecæ, Custodis
AD HIERONYMUM COMITEM LEONEM
DE MAXIMO NUMMO SEVERI ALEXANDRI.

DIuturni silentii, quo ad hanc diem usi fuimus, finem humanissimæ litteræ tuæ afferunt Roma x. Kal. Decembris datæ, quibus inobservati hactenus eruditis hominibus antiqui Numismatis ἔκτυπον addidisti. Ad quod explicandum cum me invitare volueris, & eo honore nihili hominem ornare, quo nullum optaverim ampliorem, gratias quas possem cumulatissimas agere tibi constitui, nec meis quidem solum, sed & Ericii Puteani clarissimi illius Lipsii discipuli verbis epist. 49. centur. 2. *Benigne mecum agis, clarissime vir, & tanquam ab ipsis gratiis factus animum explicas. Nescio profecto an laudare me volueris ut amares, an amare ut laudares. Non contentus scribendi officio encomium præmisisti, quasi satis tibi notus non essem, nisi clarus omnibus fierem.* Atque utinam futurum non sit, ut alia omnia mihi contingant, quando pro tua Comitate meas in Numisma istud observationes publicæ luci destinas. Ejus descriptio, quam formis excusam una misisti, ita habet: *Eximium, ac nondum visum Imperatoris Severi Alexandri Augusti Numisma æreum maximi moduli, & crassiori auricalchi circulo inclusum ex Musæo Illu-*

strifs.

M. A. Georgii Epist. Tab. II pag. 98.



ſtriſs. & Reverendiſs. D. Marci Antonii Anſidæi Archiepiſcopi Damiatæ

In anteriori parte

Imperatoris Alexandri cum Laurea, & Mammææ Matris Capita mutuo ſe reſpicientia cum Epigraphe

IMP. SEVERVS . ALEXANDER . AVG.

IVLIA . MAMAEA . AVG.

& infra, ideſt in exergo

MATER . AVG.

In poſteriori

Imperator idem laureatus ſupra globum cæleſtem ſtellis ornatum ſedens, dextera ſupra circulum quemdam impoſita, qui terreſtrem ut videtur globum refert, cum quatuor parvulis figuris ad pedes Imperatoris ſtantibus, eique blandientibus, una extra, aliis vero tribus intra eundem circulum, quæ quatuor anni tempora, ſeu quatuor elementa repræſentare videntur. Ad dexterum Imperatoris latus Juppiter ſtans cum haſta, quaſi Imperatorem adloquens: pone ipſum Victoria alata ſiniſtra palmam oblongam, dextera lauri ramum recurvum ſupra caput Imperatoris elevans.

In gyro legitur

TEMPORVM FELICITAS.

Nolo ego hic, nec vero ſi velim in dubium revocare debeo, ſit ne Miſſile Numiſma hoc, ex iis ſcilicet, quos *Medaglioni* vulgo dicimus; oporteret enim amplitudinem, gyrum, prominentias, capitum craſſitudinem, aliaque plura,

ra, quæ percipere ex ἐκτύπῳ fruſtra ſtudueris, attentis oculis intueri, ex quibus ſi vel unum deeſſet, non illud jam Numiſma Miſſile, ſed æreus primæ formæ nummus rectius vocaretur. Non ea quidem mihi mens eſt, ut affirmem Numiſma iſtud, de quo ſum tuo impulſu locuturus, Crotoniatum eſſe, nimis enim imperitus videar, ſi tale judicium mihi excidat, quod vel ejuſdem elegantia, & venuſtas, dum ἐκτύπῳ Nummus ipſe reſpondeat, nullo negocio evertit. Crotoniata enim tam rudia ſunt, ut poſtremis ac minus cultis temporibus ſtatim intelligantur ſignata. Plura vero hujuſmodi numiſmata manibus terimus, quæ diverſorum ſunt Imperatorum, ſed præcipue Neronis, Hadriani, & Trajani.

Si nulli igitur, ut ego quidem pro certo habeo, ſuſpicioni, aut exceptioni obnoxium eſt Numiſma noſtrum, affirmare non dubitaverim, illi ex novitate aliiſque ſymbolis hiſtoricis in poſtica expreſſis maximum pretium accedere, quamquam res ita plerumque ſe habeat, ut ejuſmodi Numiſmata majori ſint in æſtimatione, quam reliqua ordinaria. Illa enim non commercii cauſa cudebantur, ut iſta, ſed vel ut munus mitterentur Legatis, aut exterarum Gentium Principibus, vel ut populo ob victorias partas, in ludis, in triumphis, ædificiorum dedicationibus ſpargerentur; & hinc a veteribus Miſſilia, a nobis, quo ea a nummis reliquis ſecernamus, *Medaglioni* dicuntur. In his

his ideo vel Ludorum celebrationes, vel Triumphi, vel ædificiorum extructiones, vel quævis alia ſcitu digna, nec adeo perſpecta historiæ capita indicantur, ut abunde teſtari poſſunt Erizzii, Patini, Triſtani, aliorumque opera, qui ſumma cum laude in his explanandis monumentis antiquitatis verſati ſunt, quorum exemplo & nos illis licet longe impares noſtrum hoc Numiſma conabimur explicare. Cuſum illud profecto fuit in honorem Alexandri Severi, & Mamææ matris, quippe quæ una cum Filio imperium regeret, nec minorem ac ille gloriam ab ea adminiſtratione perciperet. Nec vanum hoc figmentum hominis, qui chartas amœnis narrationibus implere ſatagat, cum hiſtoriæ fides opituletur. Ætate enim valde immatura Alexander ad Imperium evectus, auxilio, prudentia, ac ſagacitate indiguit Aviæ, & Matris in adminiſtratione non tam facili quam honoris plena, & magnifica. Imo, Julia Meſa fato functa, de Mamæa, quæ ſola jam curæ filii relicta erat, ſic loquitur Herodianus in Sever. Alex. pag. 391. libri inſcripti *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores* Lugduni apud Franciſcum le Preuſe 1592. in 8.: *Et Mamæa cernens jam ſolam ſe Filio relictam præeſſe ad eundem modum, moderarique ſtudebat: Quumque adoleſcentem ſummam habere jam cerneret auctoritatem, metu ne vivida ætas in ſumma poteſtate, licentiaque rerum, in cognata aliqua impingeret vitia, undique aulam ſervabat;*

vabat, neque adiri a quoquam Adolescentem patiebatur, cujus vita, moresque improbarentur, ne scilicet bona indoles corrumperetur. Ut ergo tanta erant Mamææ in Filii sui solerti adeo ac sollicita educatione promerita, ita filio conjunctam honore affici aliquo in monumentis publicis decebat. Accedit, quod Lampridius, seu Spartianus potius, ut ex Palatini Codicis fide Casaubonus, Salmasius, aliique contendunt in Vita Alexandri cap. 3. 16. & 17. cit. vol. nova nobis argumenta suggerit, quibus Mamææ effigiem jure ac merito Alexandro proximam collocatam in Numismate defendamus. Hæc nimirum scribit: *Et cum Puer ad Imperium pervenisset, fecit cuncta cum Matre, ut illa videretur pariter imperare, Mulier sancta, sed avara, & auri, atque argenti cupida.* Sollemne nostrarum etiam fæminarum vitium; inde pag. 444.: *Egit omnia ex consilio Matris, cum qua occisus est*: tragico nempe casu, cui Matris avaritia causam præbuit, instrumento vero fuit Militaris licentia, quæ noxium ab innoxio non separans, sed utrumque nulla causæ cognitione condemnans, jus illud barbarum amplectitur, quod Aladino Taxus tribuit Cant. II. stroph. 12. Sed redeamus ad Lampridium, qui pag. 448. de Alexandro ita loqui pergit: *Et optimæ Matris consiliis usus est*. Similia habet Eutropius lib. VIII. prope finem. Si ergo imperatoriæ administrationis adeo consors Mamæa fuit, digna pariter fuisse

cre-

credenda est, quam una cum Filio consiliis ejus tantopere tribuente publicis venerationis significationibus Romani prosequerentur; quod & egregie demonstravit similem anticam alius nummi explicans celeberrimus Patinus Rom. Imperat. Numism. pag. 348. & ante illum Erizzius in Opere, quod inscripsit: *Discorso sopra le Medaglie degli antichi* pag. 672. *in Vinegia presso Giovanni Varisco, e compagni* 1576. *in* 4. Et hæc de antica sufficiant, in qua laureatum exhibetur Caput Alexandri Severi cum Capite Mamææ Matris, & Epigraphe: *Imp. Severus Alexander Aug. Julia Mamæa Aug.* & in exergo *Mater Aug.*

Nunc ad posticam convertamur, in qua idem Imperator cælesti globo insidet, cælesti inquam ut stellæ produnt, quibus ipse Globus ornatur, manumque dexteram alii globo impositam tenet, terrestri scilicet, si rem acu tangit Auctor Descriptionis ad me missæ: quatuor præterea parvulæ figuræ ad pedes Imperatoris nudæ conspiciuntur, e quibus tres intra terrestrem illum globum, quarta extra ipsum cernitur, omnesque subblandiuntur Imperatori, ad cujus dexteram Juppiter stat, gestuque alloqui ipsum videtur. Post terga vero Imperatoris alata Victoria sinistra palmam, dextera lauri coronam veluti capiti ejus impositura, non ramum curvum ejusdem arboris gerit, etsi aliter crediderit quicumque descriptionem cætera laudabilem nostri Numismatis, Vir certe non imperitus edidit.

 Nec

Nec eſt,cur multa hic congeram,cum rem aperte fateantur plura alia Numiſmata ejuſdem Imperatoris a Mediobarbo , Patino , Occone , aliiſque doctiſſimis Viris relata,in quibus ſignata deprehenditur Victoria alata ſiniſtra manu palmam dextera ſemper Coronam tenens , quaſi eam imponere noſtro Auguſto geſtiat . Nec aliam forte ob cauſam ſemicirculum laureum Vir doctus credidit , quam quod Coronæ pars cervice Principis tegatur , vel longo curſu temporis attrita ſit . Illud etiam probare nequeo [liceat omni veneratione , quæ aliorum eruditioni debetur ; dicere] quatuor parvulas illas figuras quatuor anni tempeſtates ſignificare, cum pluſquam ineptum eſſet Hyemem per nudam figuram exprimere , & nullo tres reliquas ſigno diſtinguere , quo Ver in illis , vel Æſtatem , vel Autumnum intelligamus : quod a proprietate ſymbolicarum repræſentationum nimium abhorret , in quarum efformatione ducta a concurſu lineamentorum ſignificantius adæquatorum Romani maxime excellebant . Et hæc noſtra ſententia validior redditur , ac firmatur Numiſmate Commodi apud *Patinum Theſaur. Numiſmat. pag.* 173. in cujus poſtica quatuor figuras ita expreſſas videmus , ut minime ſit laborandum , quo anni tempeſtates iis referri ſentiamus . Ibi enim Hyems cernitur veſtibus arcendo frigori bene contecta , Autumnus Racemorum palmitem gerens , Æſtas cum Falce & Spicis , Ver denique cum floribus . Omiſſa igi-

sa igitur hac sententia, quæ ad quatuor anni tempestates confugit, longe quippe a proprietate figurarum aliena, videamus an veritati magis accedat quod de quatuor Elementis in recitata Descriptione continetur. Et minus certe vitii huic opinioni inesse credimus, quamvis utrique acquiescat Clarissimus Spanhemius *de Præstant. & Usu Numism. pag. 726. sec. edit.* Illud adversari posset, quod una ex figuris extra globum illum, quem Terrestrem esse Auctor citatæ Descriptionis opinatur, effícta sit. Facile tamen responsum occurreret, ut cuivis adeo molestum scrupulum eximeremus, cum sententiam amplecti liceret plurium Philosophorum, ignem ab elementorum numero excludentium, quos inter non est prætereundus Cardanus, ut nec Tassonius, qui hac de re agit in primo Quæsito suarum variarum cogitationum. Sed cum aliam ipse viam ineo, tum uberioribus hoc de Systemate verbis parco, subjecturus dumtaxat explicationem; atque opinionem meam; qua in re tamen ab aliorum Eruditorum limatiori Judicio sicubi diversum esse contigerit, facile me vinci patiar.

Nimirum si verum putamus duos in hujus Numismatis postica Globos referri, quæ docti Descriptoris sententia est, credere possumus præcipuum quoddam historiæ caput ad Alexandri Severi Principatum pertinens Romanos indicasse; Vaticinium nempe illud, quod ab Hariolo Pater ejus accepit *apud Lamprid. in*

 vit.

vit. Alex. pag. 415. *citati Vol Hist. Aug. script.* ubi hæc legimus : *Ipse* [nempe Pater] *cum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus , adhuc Parvulus* (nempe Severus Alexander) *in primis quidem sortibus* :

Te manet Imperium Cæli , Terræque , Marisque .

Atque hinc fit , ut illum cælesti Globo insidentem cernamus , veluti possessorem illius , ac Dominum , sic enim explicat doctissimus Valerianus in Hieroglyphicis *pag.* 459. & 460. *Venetiis apud Jo: Antonium & Jacobum de Franciscis* 1604. *in fol.* Jovis autem figura , quæ alloqui Imperatorem videtur , aut cessionem designat ipsi ab Jove factam excelsi illius Imperii , aut benignam tractationem , qua illum complectitur Juppiter , tanquam receptum in consortium Regni Cælestis juxta notissimum illud :

Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet .

Et hæc quidem Romanorum vel occultæ superstitioni , vel egregiæ adulationi , vel amoris erga optime de ipsis meritum Principem significationi tribuenda sunt . Dextera vero quam Globo Terrestri impositam animadvertimus symbolum est maximæ auctoritatis , qua Romanum Alexander Imperium continuit , quod adeo scilicet vastum erat , ut integro terrarum orbi comparari non male posset . Cui explicationi accomodandus est versiculus alter , quem ab eodem Hariolo prolatum Lampridius scribit.

Te

Te manet Imperium, quod tenet Imperium.
Ex quo intellectum est [ſubdit laudatus Auctor] *Romani illum Imperii Principem futurum. Nam ubi est Imperium niſi apud Romanos, quod tenet Imperium.* Suprema igitur ſymbolo iſto poteſtas commonſtratur, quam terra marique, Elementis etiam pedibus ejus ſubjectis, ſuoque a nutu pendentibus obtinebat, ut de illo dicere poſſemus, quod Claudianus olim de III. *Conſul. Honor. Paneg. pag. 167. ex offic. Plantin. 1596. in 8.*

. . . . cui militat Æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Sed quoniam hæc alienæ explicationi juvandæ faciunt, non eſt cur amplius morari velim in iis confirmandis, quæ a mea opinione abeunt, ſatiuſque duco meam tibi, qualiſcumque ſit, interpretationem aperire, ut & tibi legendi faſtidium minuam, & mihi ſcribendi. Et ut confeſtim exordiar, figuram Imperatoris cæleſti Globo ſtellis diſtincto inſidentis præſagium fuiſſe arbitror eventuræ aliquando ſuæ conſecrationis; tam bene ſcilicet apud Romanos audiebat, tantamque ſibi venerationem ab omnibus conciliarat. Teſtis ſit Lampridius pag. 409. *Erat præterea cunctis hominibus amabilis, & ab aliis Pius appellatur, ab omnibus certe ſanctus.* Nec vana fuit hæc prædicatio, cum revera poſt obitum inter Divos S. C. relatus fuerit, palam hoc facientibus Nummis hujus Imperatoris, in quorum poſtica Ara cum igne ſignata eſt, addita Epi-

ta Epigraphe *Consecratio*:quæ omnia certissima sont ejus ἀποθεώσεως argumenta, & accedente præterea Lampridii auctoritate pag. 466. vol. sæpe cit. scribentis : *Senatus eum in Deos rettulit. Cænotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimum meruit, dati sunt & sodales, qui Alexandrini appellati sunt*. Rectius fuisset *Alexandriani* ut consulte Salmasius admonet in suis eruditissimis adnotationibus *pag.* 1033. *tom.* 1. *Hist. Aug. script. Lugd. Batav. ex officina Hackiana* 1671. *in* 8. Exemplumque adducit aliorum sodalium, qui Marciani, Antoniniani, Aureliani &c. dicebantur : sed præter auctoritatem ad hunc locum allatam ipsa ratio, ut ita putemus, impellit; cum Alexandrinus Civem, aut incolam Alexandriæ significet, quod nihil ad *Alexandrinos Sodales*, quomodo Auctorem scripsisse verius videtur, ut error Typographo profecto sit tribuendus. Ex his ergo, quæ & Lampridius tradit, & Numismata patefaciunt, colligo, Imperatorem stellato Globo insidentem finxisse, nihil aliud nisi præsagium manifestasse futuræ consecrationis; nec mea hæc conjectatio, cum illam mihi laudatus Historicus suppeditaverit, sequentibus verbis versiculo superius recitato subjectis :

Te manet Imperium cæli, terræque, marisque.

Intellectum est quod inter Divos etiam referretur. Inter stellas præterea collocari idem est ac Deorum inseri numero. Vadem damus Plinium

nium in nobilissimo panegyrico, ubi Trajani naturalem Patrem per Apostrophen ita alloquitur: *Nam tu quoque si non sydera, proximam tamen syderibus obtines sedem*. Ad quem locum Cellarius: *Nervæ ut Divo, seu consecrato, in syderibus sedem dat, naturali Patri, consulari Viro & triumphali sedem syderibus proximam*. Eadem repetunt Dio Manilius *lib.* 1. *v.* 761. *& seqq.* & Spanhemius, imo vel eo magis hæc ita se habere est intelligendum, quod Imperator fingatur sedens: *Divos eos ex eo quod sederent interpretatus* ait in meæ opinionis confirmationem Pierius Valerianus in Hieroglyphicis pag. 460. de Macrino sermonem habens, qui duas honori Antoninorum statuas palam exponi sedentes curaverat.

Quod si arbitrari volumus [pergo enim meam de reliquis nummi figuris sententiam patefacere] universali Gentium consensu Divinitate in antecessum donatum illum fuisse, putare etiam oportebit Romanos Jovem oculis subjicere voluisse, qui Imperatorem tanquam suæ divinitatis participem lætanter exciperet, ac partem offerret illius Regni, quod sibi uni integrum debebatur. Ex quo amor, & veneratio, qua suum Principem universa Urbs complectebatur mirum in modum emicat. Quod vero dexteram manum elliptico circulo, quem, sic dictum a figura ἔλλειψις, ipse scutum esse arbitror, in quo quatuor nudorum puerulorum festive ante Imperatorem blandientium figuræ

se

ſeſe conſpiciendas offerunt, impoſitam teneat ad factum quoddam hiſtoricum pertinet a nobis inferius ennarrandum. Nec quicquam facit, quod una ex figuris illis quatuor extra ſcutum appareat, ſufficit enim ut in area Numiſmatis locata ſit.

Et Globum quidem terreſtrem illo circulo, quem ſcutum ipſe interpretor, referri non poſſe, contra quam ſentiat eruditus Deſcriptor hujus nummi, ſatis ipſa circuli elliptica figura oſtendit, cum mihi perſuadeam nullum antiquum Auctorem repertum iri, qui non conſtanter crediderit terreſtrem Globum rotundum eſſe, ac ſphæricum; ſic enim illum deſcribit Plinius *lib.* II. *cap.* 64. & Ovidius qui non hic Poetam agit *lib.* VI. *Faſt. v-* 269. *& ſeqq.* his verſibus:

Terra Pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa
Aere ſubjecto tam grave pendet onus.
Ipſa volubilitas libratum ſuſtinet Orbem,
Quique premat partes Angulus omnis abeſt.
Cumque ſit in media rerum regione locata,
Et tangat nullum pluſve minuſve latus,
Ni convexa foret, parti vicinior eſſet,
Nec medium Terram Mundus haberet onus.
Arte Syracoſia ſuſpenſus in aere clauſo
Stat globus immenſi parva figura Poli.
Et quantum a ſummis, tantum ſeceſſit ab imis
Terra, quod ut fiat forma rotunda facit.

Cum ergo circulus, cui dexteram Alexander imponit ellipticam figuram exhibeat, fateamur neceſſe

necesse est, si recte judicare volumus, nihil illum ad terrestrem Globum spectare, sed scutum potius esse, idque eo majori contentione dico, quod alios in aliis nummis circulos persimiles inveniamus, quos auctores omnes scuta esse judicant, scutaque adpellant. Sexcentos advocare possem, sed ne tua patientia abutar pauculos rettulisse contentus ero, quos videre poteris apud Angelonum pag. 122. n. 16. & 20. suæ *historiæ Augustæ Romæ* impressæ *Typis Andreæ Fei* 1641. *fol.* Hic in duobus Trajani Nummis circuli in posticis duarum linearum curvarum angulo curvilineo similes nec a circulo nostro dissimiles cusi sunt, in quorum altero hæc sunt VIC. DAC. idest *Victoria Dacica*, & pag. 193. n. 6. in Nummis M. Aurelii cognomento Philosophi, & pag. 217. n. 16. & 20. in Nummis Commodi, pag. 243. n. 9. 11. 12. & 18. in illis Septimii Severi, & aliorum, quos ne tædium ad satietatem ingeram prætereo. His contenti exemplis, quæ conjecturam nostram sustinent, ac tuentur, explicationem aggrediamur earum figurarum, quas in scuto, vel prope ipsum cusas animadvertimus. Quod scutum ipse Imperator manu fulcit, suam in Matrem pietatem, in subditos caritatem veluti ostentat, quod jam nobis pro nostra tenuitate superest ostendendum.

Alexander Severus, ut narrationem exordiar, tanto amore in Matrem flagravit, tantaque eam reverentia prosecutus est, ut Antoninum

toninum pium imitatus, qui Faustinianas Puellas in Faustinæ Uxoris honorem introduxerat, puellas & ipse, puerosque pari Mamæam Matrem honore affecturus Mamæanas, & Mamæanos instituerit: *Puellas & Pueros* [ait Lampridius pag. 443.] *quemadmodum Antoninus Faustinianas, Mamæanas, & Mamæanos instituit*. Hoc ergo historiæ Monumento fretus Romanos arbitror proprium commendare Principem voluisse, testatam omnibus tam egregiam ejus in Matrem pietatem facientes, & universorum oculis exponentes: *In Mamæam Matrem unice pius fuit*, ut loquitur citatus historicus pag. 442. & beneficus in pueros puellasque Romanas egenis parentibus natas, qui ea magnanimitatis plena institutione alimenta de publico percipiebant, propriamque tegebant paupertatem. Hinc est, quod imagunculæ illæ gaudio plenæ ante bene de eis meritum Imperatorem gestire præseferunt. Quod factum ut a maxima magnanimitate proficiscebatur, ita memoria dignum putandum fuerat sempiterna.

Alata denique Victoria sinistra palmam, dextera lauream gerens, symbolum est bellicarum expeditionum ad exitum feliciter perductarum, victoriasque prodit tam suo ductu de Persico Artaxerse, seu Xerse, ut illum appellat Eutropius lib. VIII. in fine, a quo præter exercitum numerosissimum 700. Elephantos, 1800. Currus ad profligandos Romanos paratos

tos atque instructos fuisse novimus Lampridio Auctore pag. 431., quam suis auspiciis ductu Præsidum in infrascriptis Provinciis : *Actæ sunt res feliciter* [utor Lampridii verbis pagina 443. in Sev. Alex.] *in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus, & in Armenia per Junium Palmatum, atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ, quibus in Senatu, & apud populum lectis omnibus nominibus est adornatus.*

Tabellæ hæ aliis Auctoribus litteræ dicuntur, seu Epistolæ laureatæ; ferebantur enim ob reportatas victorias lauri ramis aut frondibus involutæ, cujus moris testimonium extat apud Appianum de Bell. Mithrid. pag. 374. Amstelod. ex offic. Jo. Janssonii a Waesbergen 1670. in 8. ubi de Lucullo hæc tradit: *Lucullus de suis rebus gestis ad Senatum misit laureatas litteras, ut mos est victoribus*; vestigium etiam moris ejusdem reperitur in Plinii elaboratissimo Panegyrico cap. VIII. & in Annalibus Georgii Cedreni in Nerva. Solebant etiam quandoque hæ triumphales litteræ summis hastis infictæ perferri, ut omnibus æqualiter essent conspicuæ. Videatur Plutarch. in Pomp. Typus igitur Victoriæ ad Triumphos nostri Imperatoris ejusque Processus felicissimos respicit. Quod mea sententia tam est apertum, ut argumentis uberioribus non sit opus.

Epigraphe in Gyro *Temporum felicitas* de publica

publica & privata singulorum felicitate potest explicari, de universali nimirum [si publicam felicitatem iis verbis designari volumus] Urbis statu, seu de quocumque Personarum ordine, cum universi se sub Principe vivere lætarentur, Sapienti, Pio, Modesto, Justo, omnibusque adeo virtutibus prædito: *Cuncta igitur* [Herodiani verba sunt in Sev. Alex. pag. 390. cit. Vol. Hist. Aug. Script. edit. 1592.] *Populo militibusque ac Senatui præterea forma Principatus erat ex contumeliosissima Tyrannide ad optimum Gubernatorem redacta*. Nulla ergo major esse ratio poterat, ut ea epigraphes adderetur, cum nulla major excogitari felicitas queat, quam sub Principe vitam agere, qui & omnes amaret, & ab omnibus amaretur. Quod si ad privatam felicitatem eam Inscriptionem referendam arbitramur, memorata puellarum, ac puerorum Mamæanorum institutio, qui a Principe protegerentur ad levandas eorum calamitates tam propenso, exemplum satis amplum esse potest privatæ Temporum felicitatis.

Et hæc sunt, quæ nobis ingenii nostri tenuitas dictare scribenda potuit non ea quidem ambitione ut antiquarii videri vellemus, sed ut tuæ auctoritati obsequeremur, ac jussis. Mittimus igitur [obedientiæ quam tibi debemus plene responsuri] hanc nugarum seriem, quam & tuæ censuræ subjicimus, & docti cujusvis antiquitatis scrutatoris. Si tamen hæ conje-

ctura

cturæ nostræ eam forte gloriam merebuntur, ut a te probentur, quodcumque de illis feceris ratum esto, sin tibi aliisque displicebunt, eas in angulo occule cujusvis loci, in quem nemo unquam divertere consueverit, ita ut spes illis lucem aspiciendi quovis tempore penitus prostrata sit. Ingenue enim polliceor me tibi utrovis consilio æqualiter obstrictum iri. Alterum enim manifestum erit tuæ humanitatis argumentum, alterum inculpandæ tribuetur justitiæ tuæ.

Vive vale, si quid novisti rectius istis
Candidus imperti, si non his utere mecum.

Vicentiæ ex publica Bibliotheca prid. Non. Decemb. MDCCXXVI.

PHILIPPI A TURRE
EPISCOPI ADRIENSIS
QUUM IN ACCADEMIAM SCIENTIARUM
BONONIÆ INSTITUTAM COOPTARETUR

Illmo Viro Matthæo Bazzano.

QUod actum est nuper in istius Academiæ conventu de mea in vestrum amplissimum ordinem cooptatione ingenti me primum, ut fit in magnis, & insperatis eventibus; voluptate perfudit; mox vero sedatiori animo reputanti nihil eximium in me esse ac singulare, quo judicium vestrum meruerim, ea res visa est

eſt majus aliquid oneris attuliſſe mihi; quam ut ſincera poſſem ac liquida delectatione frui. Quamquam enim in litterarum amorem natura ipſa, ac voluntate me incitari non diffiteor, ſatis tamen intelligo, me neque doctrinis iis, quas vos excolitis; neque ingenio aut induſtria tantum valere, ut opinionem, quæ apud vos de me orta eſt, tueri poſſim, & vos eum fructum capere ex ſtudiis meis, quem vobis percipiendum propoſuiſtis. Nam virum ſingularis ingenii, ac doctrinæ Herculem Corazzium [a] in me apud vos laudando, atque exornando, amori erga me ſuo ardentius, quam par erat, indulſiſſe video; quippe ea in me ineſſe bona non agnoſco, quæ ipſe ad vos amantiſſime detulit, voſque haud minore in me nunc refunditis humanitate. Utcumque vero hæc ſint, nolo obſtare judicio veſtro, & dignitati meæ, ne videar, vel illud contemnere, vel hanc non eo in loco habere, quem honeſtiſſimum, ac honorificentiſſimum judico. Quid enim mihi, vel ad memoriam mei nominis amplificandam præclarius, vel ad literarum opinionem de me excitandam accomodatius evenire poterat, quam ut adſcriberer ad ſocietatem illam, in qua doctiſſimi homines Mathematicis, ac Philoſophicis diſciplinis apprime imbuti naturam rerum, vel Cælo longiſſime abditam, vel terris undequaque diffuſam, ſuo

a *Hercules Corazzius Monac. Olivetanus Bononien. in patria Accademia Analyſeos Profeſſor, dein in Regio Taurinenſi archigymnaſio Mathematum Anteceſſor.*

ſuo veluti ſub imperio habent, atque in conſpectum ſibi penitus cognoſcendam deducunt? Quam ob rem effectum eſt, ut in veſtram ſocietatem receptus conſors fiam fortunarum veſtrarum; Et quamvis nihil laboris, aut ſtudii ad vos attulerim, plurimum tamen de veſtra gloria, de veſtra fama, & de laudibus veſtris percipiam. Illud vero eximium quoque eſt, quod præter leges veſtras, ſine ulla poſtulatione mea, nullaque ſuffragiorum inter vos collatione facta, ultro a vobis uno animarum conſenſu, ac conſpiratione is honor mihi objectus eſt. Quæ quidem ejuſmodi ſunt, ut cum de meis ſtudiis nihil dignum judicio veſtro polliceri auſim, neque beneficium veſtrum æquare ullo unquam, aut officio, aut teſtimonio poſſim, nihil mihi reliquum ſit amplius, quam ut ea ornamenta, quæ in me proxime contuliſtis, perpetua grati animi recordatione ſuſtineam. Præterea hoc maxime ſocium veſtrum me vobis probare contendam, ut fide, amore, ac pietate in vos concedam nemini, auctoritatem vero, ac dignitatem Academiæ veſtræ, quibus potero rebus foveam, & virtutes veſtras, doctrinam, ſapientiam plurimis atque exquiſitis honoris proſequar argumentis. Tibi vero, Vir præſtantiſſime, cum ob hoc præcipue plurimum debeo, quod decreti de me facti Nuntium Academiæ nomine attuliſti, tum etiam, quod dignitatem meam ejus beneficio acceptam literis tuis, ſumma cum e-

legantia, & sermonis ubertate conscriptis, mirifice cumulasti. Hos porro animi mei sensus ut Clariss. Viris significes, verbisque tuis exornatos omni officiorum genere amplifices, abs te peto: meque præterea tuum ut ames rogo, quantum ego diligentiæ, ac studii in te colendo impendam. Vale.

Rhodigio IV. Id. Novemb. MDCCXV.

Ejusdem Epistola metrica ad F. THOMAM MINORELLUM Bibliothecæ Casanatensis Præfectum.

ADria me tenet, antiqui vix nominis umbra,
Utque animum servem, tu petis, & valeam?
Quì valeam, si rana procax male percutit aures,
Torquet & immitis tela cruenta culex?
Adde solum, cœlumq; grave, infectamq; paludem,
Quæque latent animo prætereoque libens.
Ergo fuge hinc citius, clamas, instasque monendo,
Sic Musæ, sic te Phœbus & ipse jubet.
Obsequar: & sparget postquã lux tertia Olympũ,
Urgebit senos fervidus axis equos;
Rhodigiũ attingam, mediam quam dividit amnis.
Nec mora: me excipiet lætior aura sinu.
Est locus, antiqui dixerunt a Bove nomen,
In vastum properat qua brevis unda Padum.
Non angusta Domus, signat quam nomine Divus
Nuncius, irriguo considet in latere.
Quod mediũ est spatiũ, frontemq; interjacet ædis,
Pomona, hortorum gloria prima beat.

Pluri-

Plurima ibi arbor, fecundat quam ramus adulter,
Nexibus implexas itque reditque vias.
Sed nequit erectum, late spatiantibus umbris,
Tollere sublimi vertice ad astra caput.
Nam ferrum subito crescentes demetit artus,
Et vetat insontem luxuriare comam.
Hinc sua dimidius miratur brachia truncus,
Submissis cogi frondibus ire solo.
Et queritur sibi festinatam instare senectam
Villicus, ut properas carpat avarus opes.
Seu mutilis venis succus non rite subactus,
Inficit arcana viscera cuncta lue:
Saucia seu crebro, vitiataque vulnere membra
Ægram animam lædunt, conficiuntque brevi.
Intulit hunc hortis infestum Gallia cultum,
Naturamque suo subdidit ingenio.
Sed levia hæc: docuit peregrina licentia luxum,
Et fragilem sexum legibus esse suis.
Hinc damnata, nisi frangat patrimonia vestis,
Et nisi sollicito remige mittat Arar.
Hinc cænæ, & vigiles noctes, atque alea præceps,
Et scenæ, & currus, & sine teste domus.
At quo me rapiunt ævi fastidia nostri?
Nunc pergam campos, & sata rura loqui.
Non alias, seu flava Ceres, seu Bacchus in oras
Effundunt fructus uberiore sinu,
Agmine jam spicas videas exsurgere denso,
Queis non messoris sufficit una manus.
Proximaque expectat largo vindemia censu
Divitis autumni dona referre cadis.

Impius at vina, & segetes recutitus habebit
Fœnoris impositi munere factus eques.
Non tamen immeritū temerabunt sabbata tectum;
Hæc curto est verpo lex posita a Domino.
Ergo illic adero postquam venere Calendæ,
Quas primo inscriptas Cæsare mensis habet.
Sed sine te nec læta dies, nec fulgidus æther,
Aut herbæ molles, aut erit aura levis:
Vt venias jubeo: scis te promissa dedisse
Venturum, flammas cum vomet ore Canis.
Vatem non fallas, faciat ne læsus Apollo,
Vt nunquam scamnis egrediare tuis.

FINIS.

DVA-

DVARVM VETERVM
GEMMARVM
MVSEI OLIVERII
EXPLICATIO

AVCTORE

IOHANNE CHECOTIO
S. VICENTINAE ECCLESIAE
CANONICO THEOLOGO

AD

V. CL. PAVLLVM PACIAVDIVM.

I



II



VIRO CLARISSIMO ATQVE OPTIMO

PAVLLO PACIAVDIO

THEATINO PRESBYTERO

JO: CHECOTIVS S. VIC. ECCL. CAN. THEOLOGUS S.P.D.

HOC mihi jam primum eſt petendum abs te etiam atque etiam, ut quod nihil adhuc ad tuas litteras accepiſti, ne id negligentiæ cuipiam tribuas meæ, culpæve des. Etenim, quas litteras video fuiſſe datas a. d. prid. Kal. Junias, eæ mihi non niſi nudius, ut puto, quartus redditæ profecto ſunt. Enimvero ſcatentes illæ quidem ac refertæ notis omnibus benevolentiæ, incredibiliſque humanitatis. Itaque valde fuerim ſane reprehendendus, niſi, pro eo ac debebam, ſtatim acceptis, reſcriberem aliquid. Atqui ego, cum exiſſem Urbe, haud plus quam ſeptem ruri futurus dies; ibi ſum coactus, ad viginti plane dies, vellem nollem commorari. Coactus, inquam, anni hac

temperie, quæ maxime nunc ingruit. Cum aſſiduis imbribus iter quotidie magis impediretur, ac præterea torrentes commoti tempeſtatibus, factique vehementes, aquarum circumfudiſſent nobis quoddam velut obſidium. Ut ſi mihi vadimonium eſſet aliquod neceſſario præter alveos eorum torrentium obeundum, nihil haberem ſane conſilii quod caperem, niſi ut illum imitarer, qui, ut apud M. Tullium eſt, cum hoſtias Lacedæmone ad ſacrificium præbendas die certa redemiſſet, eaque die fluvius qui apud Lacedæmonem fluit Eurotas, ita excreviſſet, ut eo traduci nequirent victimæ; ibi redemtor, oſtendendæ cauſſa ſuæ ſaltem voluntatis, hoſtias conſtituit omnes in littore, ut qui trans flumen eſſent videre poſſent. At vero poſteaquam evadendi poteſtas fuit, redux aliquando tandem, accepi tuas denique litteras. Quibus perlectis, & amavi te quidem plurimum de tua iſta plus quam effuſa humanitate: & nihil habui prius quam ad eas uti reſcriberem: cumque genus viderem, de quo ſententiam abs te rogabar meam, ſubiit, ut vere dicam, mirari, quî tu animum induxiſſes unquam, ex me ut quæreres ea, quæ tibi apud teipſum longe profecto naſcuntur uberius. Niſi quod ſtatui recogi-

cogitans, partim hoc fuisse modestiæ tuæ, partim comitatis. Nam hisce præclaris dotibus ut maxime quis abundat, ita consuevisse putatur ademtum sibi aliquid dare libenter alteri. Equidem, cum nulla in parte doctrinarum valeo præter communem modum, tum in hac reconditæ antiquitatis peritia mihi si quid assumam, videar profecto exilire ultra præscriptum, id est, Græcorum proverbio, ἔξω τῦ σκάμματος. Ut possim de mea Musa, si qua mihi tamen est Musa, dicere cum Poeta: *Longe aliud studium, atque alios accincta labores*. Et mea quidem ita se habent. Verumtamen, utcunque sit, obtemperari tamen a me volui tibi, scribique nonnulla, atque id obsequendi studio magis, quam fiducia doctrinæ meæ. Quod quidem faciam ut potero; id est primum pro virili, tum deinde quantum ea patiuntur, quibus interpellor undique. Tuum erit de eo quanti mea sint, quantumque valere debeant, sententiam pro arbitrio ferre. Gemmas ergo, quæ quidem binæ sunt, quarumque calamo descriptam effigiem ad me misisti, quæris quidnam augurer velle sibi? Dicam: quippe ubi jubes. Ac principio minime dissimulaverim, elegantia mirifice captum fuisse me, cum

cum cælatura, quæ quidem apparebat vel in ectypo; tum vero præsertim earum rerum, quas hic delitescere statim sum arbitratus, ut primum adspexi. Quod si tuorum articulorum est ista descriptio, næ tu digitos haud minus habes eruditos, ac fuisse dicuntur Pyrrho Ligorio, quem in hoc genere pingendi apprime scio commendari. Sed ut ab artificis laude veniam ad ipsam rem; initium capiam ab Hercule, cujus una est de duabus gemmis. Etenim Herculem ea præferri nihil est plane dubii. Etsi non ille ornatu Herculis antiquissimo, verum eo, quem Strabo docet in libro quinto & decimo, multo post res Trojanas affictum Herculi ab Heraclias auctore, sive Pisandrus fuerit, sive alius. Hic enim clava, & Leonis exuvium, & mala Hesperidum. Quapropter nihil omnino cur dubitemus, vel quominus liceat nobis cum Luciano, in Menippi Dialogo, dicere: *nimirum ipsus est Hercules*: ὅλος Ἡρακλῆς ἐστίν. Sed inscriptio signi multo est obscurior. Quis enim Hercules iste nomine πολύτειμος. Quippe sic inscribitur. De quo primum hoc habeo quod animadvertam, πολύτειμον ab cælatore factum esse, pro eo quod videtur debuisse scribi πολύτιμος.

Nimi-

Nimirum in locum simplicis ι vocalis litteræ, diphthongo adhibita, ει. Erratum dicerem, nisi meminissem observatum a doctissimis Viris, haud inusitatam esse permutationem hujusmodi. Casaubonus quidem ad Athenæum, libri secundi quarto capite supra decimum, animadvertit, κρεῖον, & cum cicer est, & cum hominis proprium nomen, scribi modo per ι simplicem, modo per factam ex ι, cum parvo ε diphthongum. Etiam Spanhemius non semel usuvenire idem admonuit in Nummis. Sed omnium uberrime qui egerit hac de re Westenium fuisse judico, in opere cui titulum fecit: *De recta lingua Græca pronunciatione*. Qui quidem Codicum etiam aliquorum hunc alternandi sic, esse morem, allatis exemplis docet; ac præsertim Romani Codicis, nec minus Alexandrini Græcorum Interpretum septuaginta. Vere. Nam pluribus etiam locis, quam quibus Westenius utitur, ea litterarum abusio jamdiu fuerat a me in Codicibus illis annotata. Etiamque, nisi memoria nunc fallor, in Epistola Romani Clementis, ex Alexandrino Codice quæ fluxit. Et sufficere quidem hæc possint. Duo tamen ego nihilominus addam. Quorum unum, auctoritate Prisciani scriptu-

pturam apud Græcos iſtiuſmodi poſſe confirmari. Sic enim ille in primo libro, ubi ordinem exponit litterarum: I *quoque apud antiquos poſt e ponebatur, & ei diphtongum faciebat, quam pro omni* i *longa ſcribebant, more antiquo Græcorum*. En ergo morem, auctore Priſciano, Græcorum antiquum, in eo quod cælator πολύτειμον fecit, non πολύτιμον: Quod autem Latinis Priſcianus ait olim ſic fuiſſe ſcriptum, & notum alioqui, & pulcherrimum exſtat hac ipſa de re Lucilii fragmentum, apud veterem orthographiæ Scriptorem, Velium Longum. Sed & alterum habeo præterea quod addam, nec indignum quidem obſervatione. Videlicet, nullibi fere magis ludere veteres lapides hac varietate ſcribendi, quam in verbo τιμῶ, atque declinatis inde, factiſque vocibus, quarum eſt etiam πολύτιμος. Afferam autem exempla nonnulla. Eſt apud Gruterum Lapis, p. 173. Veſpaſiano poſitus ab Neapolitanis, & quidem, uti Græcam decuit Urbem, Græca lingua. Ibi τειμητης legitur, pro τιμητης. In Arundellianis vero, quæ dicuntur, marmoribus, prima parte operis, inſcribi memini quendam Paternianum, eumque dici: ϗ τὰς λοιπὰς ἀρχὰς φιλοτείμως ἐκπλέσαντα, pro φιλοτί-

λοτίμως. Alius est Lapis tertiæ partis, Tiberio Cæsari dicatus: hic etiam, ἐτείμησε Τιβέριον Καίσαρα, non autem ἐτίμησε. Lapidi etiam incisum Decretum ibidem legitur Imperatorum Severi & Antonini; pariterque habet: τὴν εἰς ὑμᾶς φιλοτειμίαν, pro φιλοτιμίαν. In Marcellæ autem nescio cujus monumento, videas ἐτείμησε, non ἐτίμησε; ubi tamen occurrit paullo post nihilominus τιμὴ, cum ι simplici. Quid Sponianas referam inscriptiones? in quibus, ἐτείμησαν, φιλοτείμως, τειμήτης, ἐτείμησεν, τειμῆς, φιλοτείμυ, plus decies hic illic animadverti scriptum; cum tamen alicubi, etiam φιλοτιμησάμενον, cum ι simplici. Quod si acervo insuper opus est; uno in Lapide, Gruteri p. 491. nec illo quidem nullius elegantiæ, veluti congesta plura videre liceat. Ibi enim & τειμηθέντα, & φιλοτείμως, addito ε parvo ad ι: & præterea, quod plane germanum est hujus nostri πολυτείμυ, scribitur πολυτείμητον. Quibus nunc testibus tot atque tantis addi profecto in cumulum tua isthæc Gemma potest. Ac sic non temere factum par est arbitrari, quod toties, tamque dissitis in locis constanter usurpatum apparet; ac præterea temporibus perquam eruditis: quæ quidem

est

est nonnullorum ex allatis a me supra monumentorum ætas: fortasse hinc ea scribendi fluxit ratio; quod cum τιμῶ, ac τιμὴ, indeque composita, fiant ab τίω; cujus primam syllabam esse ancipitem, adeoque scribendam per ι simplicem, ostendit erudite Græcorum Etymologicus liber: hic, ut produci tamen priorem in τιμῶ, ac reliquis, significarent, veluti fulciendam aliquando, ex Prisciani regula, ι longam confirmandamque diphthongo putavere. Ac satis de scriptura, præsertim cum eadem paullo inferius mihi sit paucis iterum attingenda. Jam de voce ipsa videamus. Quid nempe sit illi rei cum signo Herculis vel inciso intus in hac Gemma, vel educto. Neque enim utrum sit horum queo satis dispicere. Possunt ad eam vocem occurrere nonnulla veri haud sane absimilia. Ac primum dicat aliquis, id πολυτείμε nihil esse aliud quam cælatoris nomen, additum, ut fit, operi, casuque sic editum secundo. Cujus moris exempla sunt innumerabilia. Siquidem *Polytimus*, etiam inter propria quandoque nomina reperitur, ut multa ejus formæ: *Polynelus*, *Polyanus*, *Polybius*, *Polydorus*; &, quod ominosum Eteocles, apud Euripidem, fratri dicit fuisse, *Polyneices*.

Ra-

Rarius quidem occurrit, proprie dictum, *Polytimus*; nec tamen nunquam, ut in Epigrammate Martialis octogesimo & sexto libri duodecimi, cujus initium: *Nolueram violare tuos Polytime capillos*. Quidni ergo pariter & in hac Gemma *Polytimum* artificis dicamus nomen? Plane ut Λυσίππυ scriptum fuit in alio Hercule, de quo Martialis: *Λυσίππυ lego Phidiæ putavi*. Sed argutari licebit etiam aliquanto magis erudite.

Quid enim, si cui veniat in mentem, rem aliter aggredi? ac dicere: Cum vox πολύτιμος cognata sit vocis πολυτίμητος, sic ut sæpe commutentur invicem; idcirco non aliter oportere πολύτιμον hic exponi, quam quomodo, apud Aristophanem in Ranis, nomen πολυτιμήτοις, pluralis numeri tertiique casus, ab antiquis explicabatur, auctore Poetæ illius Interprete Græco. Nam ibi ἕδραις frui πολυτιμήτοις. Hoc autem ideo dictum aliqui existimant, ait vetus Interpres, quod Bacchus easdem haberet aras una cum Cerere: καθὸ συνίδρυται τῇ Δήμητρι Διόνυσος. Atque ita cum unis aris non uni tamen honores, τιμαὶ, imponerentur, ideo jure πολυτίμητοι dicuntur aræ fuisse, videlicet honoribus auctæ pluribus, pro duplici videlicet Numine, quod illis aris insi-

insisteret. Hæc autem si de Baccho satis justa est appellationis caussa, jam æque in Herculem admodum eandem convenire. Nam & ipsum frequenter *σύμβωμον* nonnullis fuisse Deorum, tenuisseque communes aras. Primum Herculis erat & Musarum ara; *κοινὸς βωμὸς* Ἡρακλέους καὶ τῶν Μουσῶν. de qua Plutarchus in Romanis Quæstionibus. Erat deinde simul Herculis & Silvani, de qua sæpe Lapides, eoque titulo, apud P. Victorem, ædes in Aventino. Quin & Mercurio societas cum Hercule, Athenæo teste, in libro quinto supra decimum: Unde illa Ciceronis ad Atticum Hermeracla, cujus Pausanias apud Sicyonios narrat signum sese vidisse. Annon igitur harum societatum caussa, ut aræ Bacchi *πολυτίμητοι* dicuntur, propter societatem cum Cerere, sic Hercules æquo jure, faventeque analogia, sit itidem *πολύτιμος*? Sed & præter superiores duas, tertia superest hariolatio. Nimirum, si cui videatur quæsitum istud *πολύτιμος* esse aliud nihil, quam lusus elegans hominis, qui vellet Herculem alio nomine dicere, adeoque ludere synonymia. Nam Hercules, Græce Ἡρακλῆς, ut quidam voluere veterum, eo nomine dictus est *ἔρα*, *terra*, & *κλέος*, *gloria*, sive *honor*, quasi

ὁ ἐν

ὁ ἐν τῇ γῇ ἔνδοξος, *illustris ubique terrarum.* Atqui πολύτιμος idem plane, videlicet: *Honestatus undique.* Ergo Hercules, ac πολύτιμος, duo nomina quidem, sed una vis. Unde etiam factum eleganter, ut significatio nominis, Herculi, sicut videmus in Gemma, supra caput adstaret. Quod iterum potest confirmari collatione hujus φιλοτίμου, cum illo jam superius memorato φιλοτίμητος. Hoc enim alibi sic adhibetur ab Aristophane, ut eum significet qui colatur ubique gentium, & in honore sit. Nec tamen ulla istarum expositionum admodum probatur mihi. Quas non sic proposui ut assererem, verum ut nihil omitterem eorum, quæ ad rem essent, modo compertum mihi. Nam illa, de Cælatoris Nomine, situ ipso mihi videtur excludi. Quod si vel ad utrumvis laterum, vel inferne sita esset inscriptio, posset hæc sententia tueri sese. Nunc propositum insigni loco nomen, ac signo superne circumductum, pene clamat ad eum sese pertinere, qui cælatus in Gemma sit, non autem ad cælatorem. Duas vero reliquas, quid ego dissimulem, ut primum occurrere, paullulum assentatas esse mihi? Hæsissentque facile, sic ut vel alterutram admitterem, vel utramque. Nihil enim

prohibet, duo, nisi pugnent invicem, sub unum corripi nomen. Quin & elegans ejusmodi Syllepsis. Verumtamen abjeci protinus; quod existimarem aliquid in promtu esse longe simplicius, multoque propius contingens Herculem. Sunt autem semper quæ simplicitate præstant, & propria maxime, communioribus & implicatioribus anteferenda. (Scripseram hactenus, cum tristibus quibusdam caussis abductus abstractusque sum ad curas longe alias. Adeoque cessatum a me diebus pluribus. De quo etiam te curavi monendum. Iis nunc utcumque solutus, quamquam ægro sane animo, ut par est in rebus amicorum adversis, redeo tamen ad institutum.) Vix igitur dubito, quin ille quicumque tandem fuit (nam de hoc postea videbimus) a quo, nomine τῦ πολυτίμυ consignatus in Gemma Hercules est, eo respexerit quod factum in Diodori quincto narratur libro. Herculem, postquam septimo fuerat suorum laborum perfunctus, Taurumque Cretæ, ut cum Lucretio dicam, abduxerat; tum vero magnos tulisse plausus ab cætu Deorum universo: ingentia munera tulisse, atque complura, virtutis ergo. Siquidem unusquisque muneratus Heroa singillatim est pro

sua

ſua virili. Quæ quidem munera, *τιμαὶ* ſuo nomine dicenda ſunt, prout loquitur Diodorus. Ille enim ſic: *ἐτίμησαν αὐτὸν δωρεαῖς οἰκείαις ἕκαστος τῶν θεῶν*. Igitur eum Pallas peplo donavit. Vulcanus Clava, ſimul thorace addito. Equos Neptunus donum adduxit. Mercurius enſe muneratus. Apollo & arcum, & artem utendi conceſſit. At Ceres, quibus poſt Centauri necem expiaretur, myſteria tradidit ea, quæ parva dicta ſunt olim Athenis. Ipſa quoque una cum collegis, uti Diodorus inquit, *τιμῶσα τὸν Ἡρακλέα*. Viden confluxum undique honorum, ſive *τιμῶν* ab Diis in Herculem? Quid igitur magis proclive, aut ſimile veri ſit, quam ut ab hac tali copia *honorum*, *τῶν τιμῶν*, atque tanta, & quidem ab cœlitibus Diis, cognomen Herculi accreſceret *πολύτιμος*? Quaſi, modo liceat, diceres, *multihonoreum*. Fuit enim hoc vanæ ſuperſtitioni præcipuum ſtudium, ut *πολυωνυμίαν* Diis conciliaret, quam, apud Callimachum, Pallas, in hymno, tantopere fertur concupiſſe. Ejuſque, prout error fuit illorum temporum, eximiæ atque divinæ dotis magnam tum quidem ſegetem facta dabant. Præſertim Herculi, cum eſſet, ut eleganter Lucianus alicubi,

παρέγγραπτος, videlicet quasi dicat, *extra ordinem conscriptus Deus*, adeoque summe indigus nominum. Quapropter multa reperies Herculi de factis nomina. Sic ex eo quod equos ille hostium aliquando vinxerat, fuit olim Thebis Hercules cognomine ἱπποδότης, sicut Pausanias tradidit. Quod autem abscidisset æmulis quibusdam a se deprehensis nares, idem ibidem alio nomine, ῥινοκολούστης colebatur, æque auctore Pausania. Etiam a pomis, quæ loco extorum forte porrecta fuere quondam in aram Herculis, *Malorum Herculem* appellatum docet Pollux in primo; ut esset qui diceretur: τῶν μήλων ὁ Ἡρακλῆς. Propter autem bello devictum Laomedonta, ecce tibi Herculem novo cognomine καλλίνικον & salutatum ab Telamone, ut Apollodorus docet in libro II., & deinde celebrem eo nomine. Ut ex Archilochi apparet versu, quo Pindarus utitur initio noni Olympiorum carminis: ad quem locum disputat eleganter nonnulla Græcus Interpres. Etiamque Lucianus eo nomine compellari facit Herculem a Diogene. Quid autem memorem illum, apud Lindios, vel Βούφαγον, ut Lucianus, vel Βουθοίναν, ut Nazianzenus, Herculem? Cognomine ab ea ingluvie facto, per quam fere-

ferebatur boves aratores duos uno impetu deglutisse. Unde ibi ara *βούζυγος*, quam sic ipse, uti Lactantius ait, *de facto* nominarit. Præterea *Victorem Herculem*, & sæpe in Lapidibus, & apud Poetam: hoc enim pariter de facto nomen: quod, ut Varro apud Macrobium, *omne genus animalium vicerit*. Prætereo *Astrologum Herculem*, de quo Festus, eo quod obscurationem Solis prævidisset. Hujusmodi alia prætereo, quippe me jamjam horum tædet. Sed cum fere nullum sit Herculis factum vel ipsius, vel ejus caussa, unde non aliquod cognomen provenerit; hanc nos unam rem illustrem tantopere, minus tamen idoneam existimabimus, quæ novum Herculi compararet nomen? Haud videtur convenire; neque illi credo visum, qui primus inde nomen invenit *πολύτιμον*; quasi, *pluribus insignem honestisque donis*, eique tribuit de quo Diodorus: *ἐτίμησαν αὐτὸν δωρεαῖς οἰκείαις ἕκαστος*. Est autem eleganter plane confictum nomen, exque analogia vetere: scilicet ad eam formam, qua doctissimus Poeta Callimachus, ob Ararum, aut sacrorum frequentiam, Delum appellavit, in hymno ejus Insulæ, *πολύβωμον*; itemque propter circumfusas, credo, Cycladas, ac De-

 lum

lum colentes ut matrem, πολύπτολιν: de quorum utroque Strabo videndus, in decimo. Cererem quoque haud aliter idem ille Poeta dixit alibi πολυμέδιμνον, quod esset ubertatis mater atque fertilitatis. Verum hoc tamen interest; quod apud Callimachum ista, nominibus adduntur Deli, atque Cereris, ut *Epitheta*. Πολύτιμος autem cum dicitur Herculis absolute, pertinet ad illam speciem Antonomasiæ, cui Fabius in octavo, priorem dat locum, appellatque, *Antonomasiam per Epitheton*: rationem addens; *quia*, inquit, *detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine*. Qua ratione, valet πολύτιμος, pro Ἡρακλῆς πολύτιμος; itidem ac *Tirynthius*, pro *Hercules Tirynthius*; sicut ab Ennio dictum est: *Decessit Olympius*, pro, *Jupiter Olympius*: unde Virgilius Epithetum addidit, quasi proprio, dicitque in decimo: *Domus omnipotentis Olympi*, observante id Josepho Castalione. Sicut etiam *Radians* valet apud Tullium pro, *Sol radians*, observante in Variis Mureto. Neque porro abnuerem potuisse voce hac veteris, ut ex dictis apparet, elegantiæ, πολύτιμος, ad τιμὰς quoque simul respici, aut honores, quibus passim affectum Herculem & ubique terrarum, dum adhuc viveret, Græ-

ci

ci tradunt. Qui quidem honores fuere plurimi. Siquidem perhibetur & ab Cretensibus τιμηθεὶς μεγαλοπρεπῶς, & ab Regibus quibusdam Iberorum; tum quoque admodum in terra Italia, Potitiorum opera & Pinariorum; a Leontinisque in Sicilia; maxime autem ab Agrynæis, apud quos etiam auspicia cepisse dicitur Immortalitatis. Nisi quod est hic aliquid animadvertendum. Etenim ambiguam ego comperi hanc vocem τιμὴ; nec ejusdem esse generis τιμὰς honoresve illos, qui ab Diis in Herculem collati sunt, atque ii, quibus affectus narratur ab hominibus. Sic ut vox τιμὴ non idem utrobique valeat. Nam ubi Deorum quisque dicitur Herculem honestasse sua τιμῇ; tum, ego, nisi fallor, vox τιμὴ usurpatur haud aliter, quam quomodo usum ea video Æschylum in Prometheo; nimirum prout munus aut donum significat illa vox. Cum enim Poeta vellet ostendere donum ignis a Prometheo, præter fas, delatum ad homines, ita est loquutus: βροτοῖσι τιμὰς ὤπασας πέρα δίκης. Ubi profecto τιμὴ nihil est aliud, quam *donum egregium*. Quod solent aliter Græci δωρεὰν appellare. Ut cum ab Isocrate dictum est in Panegyrico: Cererem duabus Athenienses prosequutam

δωρεαῖς, frumento atque mysteriis. Unde prudenter mihi Diodorus videtur utrumque junxisse: scripsit enim, ἐτίμησαν δωρεαῖς, Herculem scilicet Dii. Atque etiam eadem in Tragoedia, prope autem finem, Æschylus τιμὴν similiter adhibuit. Efferens enim aliis verbis quod supra dixerat, ita loquitur: τοῖς ἐφημέροις πορόντα τιμάς. Vides iterum τιμὴν eo sensu. Quo quidem etiam Hesiodus mihi videtur usus, *in Operibus*. Nam cum hoc sibi vellet: *Magni compotem doni, seu boni fieri, cuicumque vicinia contingeret viri boni*; non δωρεᾶς, hoc est, doni, dixit, verumtamen τιμῆς, *honoris*: Ἔμμορέ τοι τιμῆς, ὅςγ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ. Est autem hæc ratio loquendi ex Hebræorum ducta consuetudine. Sed omitto. Non enim locus nunc talia persequendi. Longe vero est aliud quod *honor* ac τιμὴ significat, ubi τιμηθεὶς *honestatusque* ab hominibus narratur Hercules. Tunc enim *victimas* notat, ac *sacra*; vel, ut verbis utar Lucæ, in Actis: ταύρους καὶ στέμματα. Quales *cum coronis Boves* ibi narrantur Apostoli, cum adducerentur ad se quasi ad præsentes Deos, fuisse abominati. Sed Herculis non ea modestia. Quia accepit passim Heros ac Deus insititius; & quidem lubenti animo.

mo. Atque ut non discedam ab Æschylo, in Tragædiæ loco, quæ inscribitur: *Septem ad Thebas*, hoc τιμὴ valet. *Ne desint*, inquit, *honores altaribus Deorum Patriorum*: τῶν θεῶν ἐγχωρείων βωμοῖσι τιμὰς μὴ 'ξαλειφθῆναι ποτέ. Imitati sunt nostri; ac Virgilius in primis, cum diceret: *aut supplex aris imponat honores*. Et in Georgicis: *Sæpe in honore Deum medio stans hostia ad aras*. Ergo apparet, hanc τιμὴν quæ ad eundem refertur Herculem, sed non ab iisdem, ad ea pertinere quæ appellantur ὁμώνυμα: *Æquivoca* post Boethium, Latini dixere Scholarum Duces; adeoque ex illo genere nominum esse, quæ, ut ipse loquitur Boethius: *nomine quidem congruunt, definitionibus discrepant*; ut Aristoteles: ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος ἕτερος. Non ergo simul potest nomen πολύτιμος ab duobus duci factis, quæ cadunt ambo quidem sub nomen unum τιμὴ; sed ejus nominis haud una est utrobique definitio: quorumque neutrum, ut adjunctum alterius ponitur. Itaque satius interpretari nos πολύτιμον, eum Herculem qui Deorum honoribus, τιμαῖς, atque muneribus eximiis fuerit ornatus, quam qui hominum placitis, habitus pro Deo fuerit. Est enim tanto illa τιμὴ illustrior hac, quanto præstant

ſtant hominibus Dii . Prætereaque adeo peculiaris Herculi , ut aptiſſimam illi *pronominationem* det . Hoc ergo ſit poſitum. Atque hactenus de ratione nominis . Sed nondum hoc nomen patitur me conſiſtere. Quî vero? Nempe quia videtur indicium aliquod iſto nomine fieri etiam occaſionis, qua ex occaſione Gemma cælata fuerit. Quomodo? inquies: Accipe & vide ſis an ratio me fallat. Ego enim hunc Herculem, qui eſt in Gemma, Herculem eſſe proprie Gymnaſiorum puto . Eum autem, ſtudio cujus Gemma cælata eſt, auguror quempiam, ut verbo dicam Hippocratis, φιλογυμναστὴν, addictum videlicet apprime Palæſtricis exercitationibus. Quas quidem & eleganter & vere libro ſecundo Macabæorum exiſtimo dici, *medullam Hellenismi*: ἀκμὴν τιν' Ἑλληνισμοῦ. Unde nil mirum tanti eas vel apud juris Interpretes fuiſſe, quanti oſtendit Ulpianus, *D. de his qui not. inf. l. 4. Athletas autem Gabinus & Caſſius reſponderunt omnino artem ludicram non facere: virtutis enim gratia hoc facere & generaliter omnes opinantur: & utile videtur.* Cauſſas autem cur ſic de tua iſta Gemma judicem habeo quæ deinceps exſequar . Herculem erudite, prout ſolet, Juſtinus Martyr dixit, in Oratione

ad

ad Græcos: *Præsidem illum certaminum celeberrimum*: τῶν ἀγώνων ἡγήτορα τὸν ᾀδόμενον, sicuti Sylburgius legebat. Vere, quippe cujus in tutela Palæstrica res. Hoc etsi certius est, quam ut oporteat confirmari; afferam tamen de meo paucas observatiunculas. Ac primum: Quod, præter Athenæum, Pindarus Ode Nemeorum decima, *Dioscuros*, ait, *partiri certamina cum Hercule atque Mercurio*; μοῖραν Ἑρμᾷ καὶ σὺν Ἡρακλεῖ διέποντι θαλείας, huic loco videri mihi, ceu Scholion, apponi posse nonnulla verba longæ satis Inscriptionis Gruterianæ p. CCCXXVII. cujus fere circa medium, dicuntur quidam, *pro salute Cæsaris agonas dedisse Herculi atque Mercurio*: τοὺς τῷ Ἡρακλεῖ καὶ Ἑρμῇ τιθεμένους ὑπὲρ τοῦ βασιλέως γυμνικοὺς ἀγῶνας. Deinde; tres apud Reinesium haberi Lapides, quorum unicuique præscribitur: *Sacer conventus Xysticus eorum Athletarum, qui circa Herculem sunt*. Ἡ ἱερὰ ξυστικὴ σύνοδος τῶν περὶ Ἡρακλέα ἀθλητῶν. Eamque loquendi rationem cum ipse Reinesius referat ad tutelam Gymnasiorum Herculi communiter adtributam: id si vere ita sit, uti Reinesius existimat, vix tum ad explicandos eos lapides quidquam appositius fore verbis Pollucis libro tertio, ipso in fine; ubi, non alia,

alia, puto, de caussa docet nos: *quæcumque Gymnastica, honestiore vocabulo dici Herculea*: τινὲς τοὺς γυμναστικοὺς ἀγῶνας σεμνότερον Ἡρακλείους ἀγῶνας ἐκάλεσαν. Ergo diceremus itidem, *eos qui circa Herculem*, nihil esse aliud quam honestiore nomine, *Gymnastas*. Verumtamen aut fallor, aut paullo sentiendum aliter, Luciano duce. Qui cum in Anacharsi, τοὺς καθ' Ἡρακλέα, *eos qui circa Herculem*, opponat, eadem fere loquutione, quasi factionem diversam, iis qui circa Lycurgum: (Etenim κατ', & περὶ præpositiones æque valent) hinc mihi videtur Lapidum hisce verbis, *qui circa Herculem sunt*, pariter quæpiam athletarum factio designari sacratior Herculi, quæque nomen sibi ejus imposuisset. Factionem autem Græcorum hominum fuisse, tamen hospitatam Romæ, inde auguror, quod, corrupte quidem in primo trium Lapidum, emendatius vero in tertio, dicuntur isti Athletæ, ἀπὸ καταλύσεως; nempe, *ab diversario*. Quasi diversarentur ob coronas adipiscendas (ut verbis dicam Imperatorum Diocletiani & Maximiani, libro Codicis decimo, tit. *de Athletis*) *sacri certaminis, vel Romæ vel antiquæ Græciæ*. Ubi Cujacius, *antiquam Græciam*, Varronem sequutus,

tus, interpretatur *Italiam*. Nunc finito addere me, saltem animi caussa, Statii versiculos, quibus excellentis doctrinæ Poeta, sine dubio hanc ipsam allusit Herculis tutelam in re Gymnastica. Sunt e Silvarum tertio, Silva quæ inscribitur: *Hercules Surrentinus*: *Hic tibi festa Gymnas, & insontes juvenum sine cistibus ira, Annua veloce peragunt certamina lustro*. Tum vero sub finem: *Quin age, & ipse libens proprii certaminis actus Invicta dignare manu, seu nubila disco Findere, seu volucres Zephyros prævertere telo, Seu tibi dulce manu Libycas nudare palæstras; Indulge in sacris, &, si tibi poma supersunt Hesperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ*. Ut agnoscas huic Herculi Gymnastico non deesse poma, quæ, tui etiam Herculis in manu sunt. Denique claudam cum Athenæo. qui, postquam libro primo & decimo, Gymnasiorum curam una cum Mercurio tributam Herculi dixerat, huic ideo vult, quod *viribus præesset ac robori*, τῷ τῆς ἀλκῆς προεςῶτι. Hoc ego ut minime respuerim, ita latius patere caussam dico, atque inde potius repetendum quod est a Tertulliano scriptum de Gentium Diis, in Apologetico, nisi fallor: *ut ars, ut negotium mortui fuit, ita Deus est*. Videlicet ab instituto Her-

Herculis; qui cum se pene puer Gymnasiis dedisset, & ludis equestribus, Magistro usus, in altero quidem, uti auctor Theocritus est, Harpalyco; in altero autem Amphitryone patre, nunquam deinceps in omni vita destitit ab eo studio. Deditque hujusmodi artium illustre specimen cum in Antæo atque Eryce, tum instituendis etiam Olympiis. Nec cessatum ab Herculis sociis: quin & amplificatam eam curam ostendunt Castor & Pollux, & Herculis comites, & celebres hoc in genere. Jolaum quidem, ut qui præcipuus in sociis illius fuit, ducta in Sardiniam Colonia, scribit Diodorus, hoc in primis dedisse operam, ut insulam Gymnasiis ornaret, exædificans ibi γυμνάσια μεγάλα καὶ πολυτελῆ. Sic ergo tum ubique, per multos unius asseclas diffusa Gymnasia sunt, ut, si Diodorum sequimur, liceat ævum Herculis, prope suo jure, Gymnasiorum ævum dicere. Inde ergo verissime præfectus ille Gymnasiis in posterum, sicut Hercules, cum Tullio dicatur, *Gymnasii proprius & Palæstræ*. Adhuc de Gymnasiorum Hercule. Restat, quamobrem cognomen πολυτίμου Herculi præcipue Gymnastico tribuam. Caussæ mihi duæ sunt, eæque, puto, non leves. Principio,

cipio, tempus, quo tot illa congesta *munera* sive τιμαὶ Deorum in Herculem, unde πολύτιμον dici ratio suadet, quodnam quæso fuit? Nempe cum defunctus bellicis curis unum id ageret, sicuti Polybius loquitur in excerptis libri duodecimi, ut Olympicis ludis instituendis, quasdam *inducias*, ἐκεχειρίαν præberet, animique daret mitis indicia: quam etiam ad mansuetudinem respexisse, pro sua doctrina, Statium existimo versibus allatis a me paullo supra, ubi Herculi placere dixit, *insontes juvenum sine cæstibus iras*. Hoc ergo ei tempus istorum munerum ab Diis fuit. Scilicet quando ipsi nihil erat omnino curæ, præter ludos atque Gymnasia. Quod accurate Diodorus notavit, exposuitque his verbis: ἀπὸ τῶν πολέμων ἐαπέντος αὐτῷ πρὸς ἀνέσεις τε καὶ πανηγύρεις, ἔτι δὲ ἑορτὰς καὶ ἀγῶνας, ἐτίμησαν αὐτὸν δωρεαῖς οἰκείαις ἕκαστος τῶν θεῶν. Hæc Diodorus de Hercule muneribus Deorum honestato. Sive inde fabula ducta, quod cum Hercules victor ab omne genus ludis discessisset, licentia deinde vetustatis, palmas & præmia victoriarum, quæ Græce ἆθλα, converterit in Deorum totidem munera; sive etiam ex eo fluxerit, quod narrat idem Diodorus haud multo post; Ar-

Argonautas, antequam digrederentur ab invicem, hoc dedisse præcipuum Herculi munus, τὴν διάταξιν τῶν ἀγώνων, *arbitrium constituendi certamina*, videlicet Argonautis in Deos fabula commutatis. Utrum sit horum, certe cognomen Herculi πολύτιμος natum inter Gymnasia videmus. Quod ergo nomen a Palæstris duxit originem, id annon jure ad curam Herculis itidem Gymnasticam referamus? Rem vides cogruere cum re. Quid ipsa notatio nominis? Illa vero multo etiam magis. Etenim πολύτιμος ab τιμὴ profecto est. Atqui τιμὴν ego animadverti veteribus usurpari, communiter quidem, pro cujuscumque Victoris præmio. Ut cum Pindarus quarta Pythiorum, τιμὰς, *honores*, id est præmia dicit *providentia Deorum Argonautis consita*: θεόπομποί σφισι τιμαὶ φύτευθεν. Ut cum Plato, in quincto de Republica, quod ab Homero dictum fuerat, Victorem Ajacem *donari*, γεραίρεσθαι *Bove*; ipse τιμᾶσθαι reddit, quod est *honestari*. Ut denique, de Latinis, apud Silium in libro nono dicit Annibal: *Nil victor honores Ex opibus posco*, id est, *præmii*. Quæ omnia, ut ajebam, de præmio victoris cujuslibet. At proprie de Hieronicis, Gymnicaque victoria τιμάς a Græcis fuisse di-

dictas, a Latinis *honores*, & est a me sane observatum, & mox ostendam. Scilicet ubi dixero, in hoc loquendi genere videri esse *metonymiam*, quæ *finis* dicitur. Cum enim, ut scribit Lucianus in Anacharsi, Victores ludis, placeret esse coram universa Græcia honestatos, τετιμημένους, καὶ ἀνακηρυττομένους ἐν μέσοις τοῖς Ἕλλησι; inde palma, quæ illius dabatur *honoris* caussa, ipsa *honor*, seu τιμὴ, ut verbo Grammaticorum dicam, *transnominata est*. Cujusmodi plane figuram scio mihi Græco quodam in Lapide agnitam. Ibi enim, a quo cuipiam statua constituta esset, is non quidem *statuam*, sed *honorem* dicitur constituisse: ΑΝΑΣΤΗΣΑΝΤΩΝ ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ κ. λ. Vitruvius absque figura, junxit instrumentum fini: *Quod publice*, inquit, *cum palma & corona ferrent*. Nisi tamen propterea malumus, *palmam*, *honoris* dictam nomine, quod in sacris Græciæ certaminibus, coronarum, utpote arborum e ramis, major esset *honor*, quam *pretium*. Adeoque hic etiam usuvenisse illud Plinii, de corona *civica*, id est *querna*: libro decimo sexto, capite quarto: *O mores æternos! qui tanta opera honore solo donaverunt*. Quod magis ad synecdochen pertineret *essentialis partis*, ut lo-

 quun-

quuntur. Ceterum, utcumque placeat, jam veniam ad exempla. Pindarus, Olympiorum secunda, cum vellet dicere, Thersandrum & præliis, & ludis palmam obtinuisse, *honoratum* in utrisque dixit: Νέοισ' ἀεθλοισιν Ἐν μάχαισι πολέμυ Τιμώμενος. Idem, in Pythiorum decima, pro corona *Victoris cursu*, dixit, τιμᾶ ποδῶν. Accumulata, id quidem, figura etiam a consequenti. Ut, quoniam cursu victorem præmia consequebantur, inde pedum in currendo vis appellaretur, τιμὰ ποδῶν. Est enim hoc aliud nihil, quam quod ab eodem Poeta dictum est alibi, nempe duodecima Pythiorum, ποδῶν ἀρετᾶ, *virtute pedum*. Nec alio putem referendum illud Maccab. secundo, capite quarto; ubi qui disco sese mutuo provocarent in Gymnasiis, *honores*, aut, quod idem est, *glorias Græcanicas* adamasse dicuntur, τὰς Ἑλλωικὰς δόξας, non autem πατρώυς τιμὰς, *honores patrios*, quæ præmia erant a sacris. Nescio an huc & Homerum advocem, Iliad. Ψ. Ibi enim in ludis qui fiebant propter exsequias Patrocli, Nestor, cum Achilles eum phiala donaret extra ordinem, quæ Phiala proposita fuisset loco præmii, sic eum alloquitur ut dicat, agnoscere se probe Achillem haud

haud oblitum *honoris*, τιμῆς, qua Neſtorem deceret a Græcis *honeſtari*, τετιμῆσθαι. Certe auctor Etymologiarum Græcarum, τιμὴν hic dici vult pro *dono*; ἐπὶ τῆς δόσεως. Qui quidem auctor, ſi modo eum ego intelligo, eſt enim locus obſcurior, videtur mihi præterea, vocis originem, eo ſenſu adhibitæ voluiſſe nobis elegantem, & ſane reconditam, atque novam aperire. Sunt ejus verba de nomine, τιμὴ. *Et pro dono, & quidem eo quod reputatur apud nos conſuetum.* ἐπὶ μὲν οὖν τῆς τιμῆς, καὶ τῆς ἡμῖν νομένης συνήθους: tum affert exempli cauſſa ſuperiorem Homeri locum. Quibus, niſi fallor, hoc ſibi debuit velle; (ſiquidem iis maxime verbis nititur etymologia: *quod reputatur apud homines* conſuetum.) Ex eo quod τιμᾶν aliquando ſit *æſtimare*, fieri ut donum quod communi hominum æſtimatione conſuetum ſit cuipiam certæ rei deſtinari, τιμὴν fuerit dictum. Omnino haud inelegans eſt derivatio, neque abs re de qua nunc agitur. Hæc autem omnia & imitatus eſt Græcarum ille doctrinarum theſaurus Maro, & imitando confirmavit. Nam in quincto Æneidos, ubi funebres Anchiſæ ludi fiunt, ſæpe quidem is *præmia* dixit quæ Græci & Homerus ἆθλα, & ἀέθλα.

Nam proprium id nomen, ut in his Papiniani l. 40. D. De re judic. *commoda præmiorum, quæ propter coronas sacras præstantur*. Sic ergo Virgilius: *Qui subiit palmæ, frustraque ad præmia venit*. Tum: *& præmia ponit*. Sed & alterum usitatum Homero nomen, γέρας, *munus*, & *donum* Virgilio est: *Munera principio ante oculos, circoque locantur In medio*. Et *Tertia dona facit geminos ex ære libertas*. Et *Juvenci qui donum adstabat pugnæ*. Nec tamen non frequenter, etiam τιμὴν Græce, *honorem* latine dixit, loco *præmiorum*. Ecce enim. *Ipsis præcipuos Ductoribus addit honores*. Tum de pluribus, quibus unum fuerat propositum præmium: *Omnibus his erat unus honor*. Et de quodam, qui palma excidisset æmuli fraude: *Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem*. Maxime autem hoc versu de Ænea: *Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem*. *Præmium*, videlicet. Et: *Hi proprium decus & partum indignantur honorem*. Ubi Servius: *Victoriam*. Denique, ut ostenderet, *donum*, &, *honorem* a se fieri synonyma, cum dixisset: *Ducere dona jube*, Homerice id quidem, nam pariter Homerus hac in re Ἵππον ἄγειν: idem rursus dixit, uno mutato nomine, *ducere honorem*: versibus his, omnino con-

for-

formatis ad Homerica illa de Neſtore, quorum ſuperius memini : *Sume Pater , nam te voluit Rex magnus Olympi ; Talibus auſpiciis exſortem ducere honorem*. Unde Statius, aſſecla Virgilii perpetuus, in ſexto Thebaidos, de Phœbo qui Amphiaraum adjuverat in certamine : *At tibi promiſſos jamdudum Phœbus honores Amphiarae cupit*. Quid autem eſt uſpiam, quod intentatum liquerit elegantia Virgilii ? Equidem ſic reputo. Quod τιμὴν Græcorum, id eſt *præmium* vellet reddere ; cum ſciret apud eos nomine τιμῆς eodem quo honor, etiam ſignificari aliquando, *pretium* ; ut oſtenderet ſibi præ oculis eſſe τιμὴν, luſiſſe quadam Catachreſi, & quem *honorem* ſæpe dixerat, hinc æque dixiſſe *pretium* : *Invitat pretiis animos, & præmia ponit*. Tum etiam : *Et palmæ pretium victoribus*. Ac ſimiliter Statius : *Huic pretium palmæ, gemini cratera ferebant Herculeum juvenes*. Quæ omnia confirmant ſatis auctoritate Virgilii Græcorum veſtigia legentis, τιμὴν, apud auctores ejus linguæ, notare præmium in re Gymnaſtica. Inde mea ratio ſic initur. Si τιμὴ, unde fit πολύτιμος, præmium eſt propoſitum certaminibus, πολύτιμος autem eum ſignificat, qui plurium fiat compos aut honorum,

aut præmiorum: quid uſquam eſſe magis auſpicatum potuit, quam Herculem proprium alioqui ſibi Numen, hoc titulo colere, iis qui ſeſe πολυςεφάνυς eſſe cuperent, & plurium coronarum Hieronicas? Adde, quod ejuſmodi τιμαὶ contigerunt Herculi inter Gymnaſia, ex quibus πολυτίμυ cognomen ipſi jure fieret. Ergo & res convenit, & notatio nominis. Hæ mihi erant cauſſæ quamobrem exiſtimarem, Herculem tuæ Gemmæ ad Gymnaſia pertinere. Difficile a me impetro, ut longius progrediar. Etenim vereor ne fiam ineptus. Verumtamen, quoniam ſemel audere cæpi, feres unum addi præterea; quo expoſito, confeſtim ab hoc Hercule diſcedam. Quid igitur, ſi cui veniat in mentem aliquod indicium odorari temporis, quo cælatam fuiſſe Gemmam liceat ſuſpicari? Unde autem? E ſcriptura, inquam, & ductu litterarum. Quorum utrumque videtur mihi hoc ſibi voluiſſe, ut antiquitatem affectaret. Hinc igitur aperitur aliquis, niſi fallor, coniecturæ locus. Itaque pauca de hoc. Jam primum, ad figuram quod pertinet atque ductum litterarum, una in voce πολυτίμυ video bis V adhibitam loco Y. Quod facile tribui poſſet Latinæ ſcribendi conſuetudini, etiam apud

Græ-

Græcos, maxime ſub Cæſaribus invaleſcenti. Eratque Spanhemii hæc ſententia, ſi quando Latinas in Græcis Nummis litteras reperiſſet. Qui quidem etiam Spanhemius accuſat Scaligerum, quod Latinas aliquot litterarum figuras eaſdem olim fuiſſe apud Græcos exiſtimaſſet. Verumtamen diſputatum eſt a Doctis Viris contra: Græcas quinimmo veteres, initio vix fuiſſe diſſimiles Latinarum. Id Plinium teſtari, libro ſeptimo, capite octavo & quinquageſimo. Atque inde, nonnunquam in Nummis velut intermicare ſpeciem illam vetuſtatis. Quorum in ſententiam ire me pedibus non diffiteor. Certe, ut in voce *πολυτίμυ* bis V, pro Y; ſic V pro hac ipſa Y, aliquando poſitum apud vetuſtiſſimos, teſtimonio eſt Lapis ille ultimæ antiquitatis, quem *Sigæum* dicunt: ubi ΠΡVΤΑΝΕΙΟΝ eſt, non ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ. Ut hoc exemplo pæne videatur argui dictum Poetæ cultiſſimi, ejuſdemque Grammatici, Mauri Terentiani, qui Græcos negat V litteram habere, præter quam ſi addant O, faciantque diphtongum OY. *Quam ſcribere Graius, niſi jungat* O, *nequibit*. Et alibi: *Latina lingua, quam vocant* Y, *non habet*; *Hujus in locum videtur* V *Latina ſubdita*. Nec

K 4 for-

fortaſſe nequeunt ad eam ipſam figuram trahi, quæ in Athenæi libro decimo ſunt, deſcriptiones litteræ quinctæ in Græco nomine *Theſei* recte prolati, ex Euripide, Agathone, Theodecte. Quapropter, haud magis adeo caſu, quam imitatione antiquitatis inductam Gemmæ pro Y puto litteram V. Præſertim vero, cum appareat etiam in O aliquid inuſitati. Quadrata enim eſt figura. Quod genus memini Spanhemium ſcribere: *Necdum ſibi animadverſum in Nummis; in marmoribus tamen aliquot Farneſianis, & Magni Etruriæ Ducis non ſemel inſpectum.* Ut habeat exemplum Gemma tua, ſi minus Nummarium; at ſaltem cognati Nummorum generis. Qui autem ea litteræ figura ſunt uſi, non dubito quin idcirco fecerint, quod eam antiquiſſimam exiſtimarent formam litteræ. Nec male quidem iſthuc, ſi vere conjecit Samuel Bochartus, O Græcorum & Latinorum venire ab Samaritanorum *Ain* Cujus cum antiquior forma ſit hæc, Ʊ, ubi conjectura Bocharti locum habeat, oportet originibus eſſe propiorem quadratum □, præ rotundo O. Ceterum, quam ſit hujus elementi facilis ab una figura tranſitus ad alteram, videtur mihi conſuetudo

Syro-

Syrorum oftendere; apud quos *Vau*, O, cum ab communi figura nihil differat & Græcorum, & Latinorum, in eo tamen alphabeto, quod ipfi duplex appellant, plane vergit ad quadrum. Equidem & hoc addam; animadverfum a me Bafilidianorum in quadam Gemma; quæ fuiffe Thuani, ac dein Peirefcii dicitur, a Sponioque refertur: animadverfum, inquam, femper O parvum quadrate cælari, ubi Hebraicum *Vau Cholem*, id eft, O, debuit effe. Quod non parum ad antiquitatem ejus figuræ facit. Siquidem Bafilidianos, cum, uti docet Epiphanius hærefi XXIV, ab Simone Samaritano ultimam originem traherent; cumque videre fe vellent myfteria vetera fectari, par eft opinione vetuftatis ejufmodi figuram adhibuiffe. Ac de litterarum quidem figuris & ductibus hæc. Quod autem ad fcripturæ modum pertinet, qui Orthographia Græcis; dixi jam fatis initio hujus epiftolæ, cum diphthongum ει, notarem in locum ι longæ productam veteri more. Sic ut videatur hic, dictum ufuvenire Sexti Empirici; effeque fonus diphthongo ει, plane ficut ι litteræ, *fimplex & uniformis*, ἁπλῶς καὶ μονοειδής. Nec mirum de ει diphthongo ufurpata pro ι, cum

cum vicissim *ι* in locum *ει* subire frequenter, demonstratum sit ab Eustathio, in Commentariis ad Dionysium. Quoque videas magis in hujusmodi scribendi modo quæsita vestigia moris antiqui, afferam quod ex Athenæo docemur, in Excerptis undecimi libri Casaubonianis; non insuetum antiquis fuisse, ut alias etiam vocales diphthongo protraherent, scriberentque pro *ε* parvo *ει*, ut *ου* pro brevi *ο*. *Πάντες οἱ ἀρχαῖοι τῷ ȣ́ ἀντὶ τȣ̃ ό στοιχείȣ προσεχρῶντο, παραπλησίως καὶ τῷ εί ἀντὶ τȣ̃ έ.* Quod quidem etiam Eustathius de *ει* diligenter adnotavit, ad initium Iliad. E. Hæc igitur omnia, quæ petuntur & ab litterarum figuris, & a ratione scribendi, mihi videbantur indicia esse non levia, Gemmæ auctorem, cum inter antiquissimos haudquaquam viveret, miro tamen studio sectatum antiquitatem. Quibus animadversis (ut mea conjectura sensim progressa est) jam alterum succurrebat; esse nimirum ævo, aut sæculo cuique suam quasi studiorum indolem. Atqui tempus, quo vel maxime ferrentur homines ad istiusmodi prisca rudera conquirenda, illud videri fuisse cum viveret Herodes cognomento Atticus, vir Consularis, atque sub M. Au-

relio

relio ac L. Vero Sacrorum certaminum Præses, de quo multa Philostratus, nonnulla Gellius, etiam Lucianus alicubi. Apparere id quidem e schola ipsius, unde, is, quem appellavi modo, prodiit Gellius. De hoc enim bene dictum a Salmasio est, in libro de lingua Hellenistica: uti eum dicendi modo prorsus ἀρχαϊκῷ: tum hæc: *Agellius infinitis vocibus locum dedit in Atticis noctibus, quæ noctem potius quam diem, ea in ætate saperent; adeo obscura erant ac tenebrosa, & vix illius temporis hominibus intellecta*. Sed multo magis hoc testari, planeque ad rem qua de agitur, scilicet ad figuras priscarum litterarum evocatas in lucem, columnas quasdam ipsius Herodis cura positas olim in Promontorio Triopio, priscis adeo exoletisque Græciæ litteris exaratas, vix ut intelligantur. Ætatem eæ tulere, leguntuque apud Gruterum, pag. xxvii. illustratæ dein a Salmasio. Et quidem adhuc bene habet. Omnia enim certa. Sed quid inde tandem! quove ista desinent? Qui igitur? Habe autem quod jam non pro certo, sed ut libebit accipias. Ex iis enim, quæ præstruxi hactenus, oborta meo animo suspicio est. Suspicio, inquam, haud enim affirmaverim: verumtamen oborta suspicio,

cio, num fortasse inscriptio tuæ Gemmæ sit ab eadem Herodiani temporis indole? Videlicet opus cujuspiam hominis, qui cum sectam eandem exsequeretur, sic tamen arbitratu suo scriberet, ut maxime scriptum ratiocinabatur antiquitas. Quo modo si liceat haud inepte conjicere; habeo statim huic basi quod rursus imponam. Imponam autem sic. Vixit cum illo, quem ajebam, Attico quidam eximio robore, statura Celtica, plusquam communi habitudine, insueto quodam ritu vivendi. Ludus ei subire certamen cum feris omne genus, victoremque discedere, prorsus Herculeo more. Hæc enim habebat sacra certamina, cum quidem illa despiceret quibus Græcia tantopere capiebatur Athletarum. Itaque fuit in deliciis Herodi, qui cum pæne insaniret desiderio reperiendi, cujus auspiciis angusta illa cervix persoderetur, qua reliquæ Peloponnesus Græciæ jungitur: palam jactabat, hoc aut nullius esse operum, aut, quamvis, uti cum Statio dicam, *Lesbiæ vetarent*, ejus inter omnes unius. Nam Herculis itidem fuerat alterum Acheloi fluminis cornu deflectere. Narrat hæc Philostratus, in secundo libro de Sophistis. Quid plura? ut Zeno, auctore Laertio, audiit

diit Hercules alter, ingenio Cleanthis eleganter sic dictus: unde, nisi fallor, Varro, pro sua doctrina, sumsit Menippææ titulum, cujus apud Macrobium mentio, ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς: ita vulgo dicebatur hic illustri nomine, *Herodis Hercules*, Ἡρώδου Ἡρακλῆς, ipso teste Philostrato, capessebatque adeo cum antiquo Hercule nominis communem gloriam. Neque sane magna cum ejus injuria, vir fuit eximii roboris. Siquidem & ipsum Herculem, in Demonacte Lucianus existimat non alio quam virium merito factum esse Deum. Dicamus igitur, an non? Ut vulgi fama insitus fuit hic novus in antiquum Herculem, sic auctorem Gemmæ, qui studium Herodis in scribendo sequeretur, eundem Herodis pariter Hercule fuisse delectatum. Hinc ita veteris Numen & instituta coluisse, ut ad hunc interim novitium æque respiceret, in eumque traducta, cum ornatum veterem Herculis, tum & certaminum curam Gemma consignaret. Hanc enim fuisse rationem olim Deos consignandi, cælare inquam illos & pingere, ostendit Herodotus in secundo. Mihi quidem haud videtur abs re. Tuum vero esto judicium. Certe, ubi mea suspicio veri quid habeat, næ is quicumque

que hac ratione vetuſtum Herculem deduxit in novum, trita ſuorum moribus via minime deceſſit. Quippe cum obſcurum non ſit, in eum pariter Herculem, quem ex Jove Thebis edidit Alcmene, quique ſextus a Tullio numeratur inter Hercules, omnia ſuperiorum eodem appellatorum nomine facta ornamentaque, ſenſim hominum vanitate decidiſſe: ac viciſſim poſterioris in ſuperioris omnia revoluta, quamlibet diſſitos; ut in Ogmium illum Herculem Gallicum, de quo Lucianus. Illuſtre nimirum hac de re Diodori eſt dictum in libro tertio; qui cum de Baccho pronunciaſſet, factum vetuſtate, ut ſuperiorum Bacchorum oblitterata memoria, Semeles filius, rerum ab iis multo ante geſtarum cerneret unus omnium hæreditatem: addit, idipſum *& in Hercule*, καὶ ἐφ' Ἡρακλέως contigiſſe. Id ego inde puto factum, quod antiquorum vanæ ſuperſtitioni haud improbabilis hæc viſa eſt via Deos novitios inducendi pro ſua lubidine, ſi, quos tali dignatos honore vellet, in cujuſpiam adoptaret nomen eorum, qui jam communi hominum opinione coleretur pro Deo. Sic ipſum hunc Thebanum Herculem, quo Deus fieret, in vetuſtiſſimum Ægyptiorum Hercu-
lem

lem quaſi retro cenſum fuiſſe docet Herodotus, Euterpe. Quod idem cur & Herodis Attici Herculi non potuerit ævo Antoninorum indulgeri, ejus liberalitate qui hanc Gemmam procuravit, indiciiſque ſtudiorum ſui temporis aſperſit, equidem haud ſcio.

Habes, quid mihi videatur de Gemma Herculis, quam feci priorem. Nunc veniendum ad alteram. Equidem in ea velim eſſe mihi breviori liceat, quam in ſuperiori fui. Verum, utcumque accidunt, quinque ſunt res quas oporteat hic rite diſpici. Primum, quidnam ſit id quod Gemma oſtenditur. Nempe argumentum ipſum: vel τὸ ὑποκείμενον Græce, *ſubjectum* vulgo noſtris. Tum deinde, quæ cernimus addita inſtrumenta homini, videndum an talia ſint, ut cum argumento conveniant, idque confirment. Ubi enim ſic appareat, fidem accedere majorem neceſſe eſt. Tertio, videndum ordine de ornatu atque veſtitu viri. Sequitur ut quarto inveſtigemus, quidnam ſeſe potiſſimum agentem, cuique vacantem officio voluerit eo habitu, eaque poſitione corporis intelligi atque repræſentari, qui Gemmam tenet. Quinto, ſingulariæ litteræ conſiderandæ ſunt, & , quod fieri poterit, explicandæ. Dicam igitur de his omni-

omnibus ea, quæ ſimul oblata eſt Gemma oculis, occurrere ſimul & ipſa meo animo. Ac primum de argumento ſic aggrediar. Littus hic, & mare. Itaque res eſt cum mari. Apertum id quidem. Bene ſit igitur. Præterea qui adſtat, parte majore ſui corporis præſefert nuditatem. Omnino! præterquam tamen, ſi quid aut verecundia vetat aperiri, aut opus velari, cauſſa indicandi ſtatus, locive, & conditionis. De quibus ego ſuis locis. Videamus ergo quid iſta ſibi nuditas? Eam quidem apud veteres, quaſi perpetuum adjunctum, reperio naufragis dari. Ita Seneca in conſolatione ad Marciam, capite decimo: *Alios per incerta nudos Maria jactabit*. Et in ejuſdem Senecæ, ut dicuntur, excerptis: *Naufragium feci.... Nudus exii. Sed exiſti!* Adde Lucianum in Dialogo cui titulus: *De Mercede conductis*: *ἄθλιοι κακῶς ἐξενήξαντο γυμνοί*. Hæc, & ſimilia his, ubi comparo cum figura hominis, in Gemma tua, ſeminudi, facile adducor ut credam, aliquem hic exhiberi ſoſpitem e Mari; vel qui eſſet, ut in vetere quodam habemus lapide: PERICVLO OCEANI LIBER. Fortaſſe momenti nonnihil eſt etiam in eo, quod, præter promiſſum a dextra capillamentum

(hoc

(hoc autem quid ſit, poſtea videbimus) nihil omnino cincinnorum apparet infra tegmen capitis emicantium: nullæ hic, ut Græci, παρωτίδες, nullæ ſuboles, ut Latini. Quod tamen ſolet. Neque abnuerim, id caſu potuiſſe fieri, nihil ut cælator omnino capillorum oſtenderet. Sed enim cum cetera naufragium ſuadeant, quidni referamus etiam hoc ad raſuram, quæ fuit vere propria naufragorum? Eſſe enim ii ſic ſolebant, ut Lucianus loquitur in eodem Dialogo, ἐξυρημένοι τὰς κεφαλάς. Et Petronius: *Unus forte ex vectoribus .... notavit ſibi ad Lunam tonſorem, intempeſtivo inhærentem miniſterio; execratuſque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile rejectus eſt.* Hæc erant quibus adducebar, ut naufragium agnoſcerem. Sequitur, quod ſecundo propoſui loco, num addita inſtrumenta faveant iſti ſententiæ? Porro inſtrumenta duplicia ſunt. Inſtrumenta enim appello Tridentem illum, quem homo ab ſiniſtro latere tenens arcte adprimit corpori; deinde Urceum e manu proclivem dextera. Hunc mihi videor aptius ad quartum caput rejecturus. Illo mentem animi auguror eleganter expreſſam ejus, qui adeo tridentem adpreſſum ſtringat. Eſt

enim hujus monumentorum generis elegantia, & quasi dexteritas, indicare aliquid argute, atque id quam paucissimis fieri potest. Quod αἰνίττεσθαι Græci dicunt. Unde ænigmata. Quare, ut arbitror, elegantissimus Poeta Prudentius, nummos dixit, *argentea ænigmata*: *argenteorum ænigmatum Augustus arcem possidens*. Ergo apprehensus, & adpressus valide tridens homini, designat, nisi fallor, Neptuno fultum aliquem, eique fidentem, evasisse ab fluctibus & irato mari. Idque monumento profiteri. Ut, quos narrat Tacitus, in tertio Annalium, præfetulisse necessitatem auxilii majoris, *arrepta imagine Cæsaris*. Neque aliunde, puto, quod alioqui notum, Servius his effert verbis ad sextum Æneidos: *Rogabant autem Deos, ararum ansas tenentes*. Confugientium enim hoc, & sese committentium in fidem. Tridens autem pro Neptuno, est quidem tralatitium. Sed huc tamen haud inepte referas quod habet in Theseo Plutarchus. *Trœzenios consignasse Tridentem in nummis, ut se se Neptuno deditos ostenderent*. τρίαιναν ἐπίσημον ἔχουσι τοῦ νομίσματος. Ergo Tridens ita habitus uti vidimus in Gemma, nonne cum sospite congruit? Sequitur tertium de Vestitu,

ſitu, vel de injectis potius, eſt enim plane ſic, quam indutis corpori, aliquatenus veſtibus. Agam diſtincte ac primum de tegmine capitis; tum de reliquis ordine. Porro capitis tegumentum ſi attente inſpicimus, prodit in eo ſeſe offertque oculis duplex veluti dimidium circuli decuſſatum invicem. Suturas facile dixerim ita diſpoſitas; materiam vero pelliceam. Ac ſingula circulorum ſegmentis intercepta ſpatia, ſingulis ornantur bullis. Ipſum tegmen omnino rotundum. Cujus non aptius formam quam verbis, ad Fabiolam, Hieronymi referam, Ulyſſis pileum alia ex occaſione ſic deſcribentis: *Rotundum pileolum, quale pictum in Vlyſſe conſpicimus, quaſi Sphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite.* Quid multa? Erat Galea, ſi repandi pro fronte quid haberet, ac prominentioris in vertice. Nunc, molliter umbellatum undique, diſtat a Galea. Quapropter exiſtimo convenire in hoc pilei genus verba Vegetii, libro primo, capite autem viceſimo, ubi cultum deſcribens militarem, ſic inter cetera: *Vſque ad præſentem prope ætatem conſuetudo permanſit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur: quod propterea*

 ſer-

servabatur, ne gravis galea videretur in prælio, homini qui gestabat aliquid semper in capite. Quem Vegetius *Pannonicum pileum* appellat, quemque militibus dat extra prælium, is est omnino quem hic videmus. Præterea, nihil, ut puto, dissimilis ejus, quem velitibus tribuit Polybius inter pugnas. Ornari enim ait illos λιτῷ περικεφαλαίῳ *simplici capitis tegumento*. Ut, pugnantium esse velitum videas, quod commune omnium extra aciem militum. Denique memini observatum a me pileum hujusmodi, rotundum inquam, & leviter umbellatum, etiamque pelliceum, ut apparet, in eo monumento veteri, quod Bellonius edidit, Romæ triumphantis. Adstat enim ibi miles, ut in pace, simillimo cum tegmine capitis. Ergo hunc, tua qui est in gemma, & Romanum habemus, & sane militem. At satis de capite. Restat, ut ad reliqua sic temere injecta corpori tegumenta. Quæ quidem & ipsa duplicia sunt. Superius unum, aliud inferius. Hoc femina circumfunditur. Illud protenditur supra. Equidem in priori statim agnosco id quod Romanis Campestre dictum: Ciceroni etiam alicubi, *subligaculum*. Hujus de forma sic Acron, ad illud

Ho-

Horatii: *Campestre nivalibus auris. Tenue est, & totius corporis nihil præter inguina tegit*. Isidorus autem, libro decimo nono, capite primo & vicesimo: *Vestis antiquissima hominum est perizoma, id est, succinctorium: quo tantum genitalia conteguntur ..... Hæc & Campestria nuncupantur, pro eo quod eisdem juvenes qui nudi exercentur in campo, pudenda operiunt*. Quæ verba si cum hac Gemmæ tuæ parte comparentur, fere commentariolum dixeris. Neque attinet addere, *cinctutos inde Cethegos* ab Horatio dictos existimari. Tum alia, quæ sane possem. Illud non diffiteor, usurpasse me libenter oculis expressam istam *campestris* imaginem. Haud enim id, ut puto, vulgo contingit. Neque non est observandum, variegatam eam vestem hic nobis exhiberi, sive texendi arte, ut suo dicam verbo, *segmentatam*. An vero communis usus tulerit, ut quod per leges Oppias neque mulieribus licebat, ut Livius docet libro trigesimo quarto, colore in vestibus uti vario, id passim fieret in *campestri*, non facile dixerim: propterea quod nihil veteres hac de re. Tamen autumo posse fieri ut rursus huc redeam postea: etsi tribus omnino verbis. Nunc id quod instat. Ve-

laminis quod ſuper inducitur, volo, quantum ad meam ſcriptionem attinet, duas eſſe partes, ac formam ejus quæri primum, quam Græce dixeris εἶδος; tum etiam *texturæ* modum. Habet enim utraque pars aliquid opportunum rei noſtræ. Jam igitur de forma, quod primum poſui, paucis abſolvero. Si quis enim attente conſideret, plane χλαμυδοειδὴς eſt, proprio vocabulo. Itaque uno verbo, *ſagum*, aut *ſagulum*. Quod enim Græcis χλαμὺς, Latinis id *ſagum*. Etſi non illud, pro ſagi more, cernitur hic aptum humeris; vel, ut cum Varrone dicam, apud Nonium: *ut aptam humeris fibulam ſagus ferat*. Sive cum Iſidoro *infrænatum fibula*. Quinimmo ſcapulis exutis demitti ſic videmus, ut aperiantur ſuperiora corporis, nudaque relinquantur. Ut poſſis cum ea chlamyde comparari, quam alicubi apud Pollucem, Sappho dat Amori, *dejectam ad inferiora*, προϊέμενον χλαμύδα. Cetera, ſagum omnino: Nunc de textura videamus. Ea id genus eſt, cujuſmodi cælo repreſentatum vidi libentiſſime. Videlicet cancellatim atque reticulatim undique ſeſe virgis decuſſantibus, datur agnoſcere, ut Servius loquitur, *in virgarum modum deductas vias*.

Eſt

Eſt autem id omnino, quod antiqui dixere, *ſcutulatum opus*. De quo Plinius in octavo libro, capite octavo & quadrageſimo. Sed aliud eſt animadvertendum præterea; eminentius enim tolli videmus haſce virgas, ut fundulæ quædam in medio quaſi concludantur. Num igitur facit huc Johannis Braunii conjectura, hincque firmatur? Quem eleganter exiſtimaſſe memini *ſcutulatum*, *aut virgatum* inter, *& lacunatum*, ſeu *lacuatum*, aut etiam *laculatum opus* diſtare nonnihil: quod eſſent omnia in *virgato* plana, utcumque diſtincta *virgatim*, aut *ſcutulatim*. Verumtamen in *laculato*, aut *lacuato*, ex ipſa vi nominis, virgarum altiore margine, ceu lacus in medio deprimerentur. Ejus inſtar quod ſagum in Gemma præſefert. Eleganter inquam. Modo tamen non idem etiam in *ſcutulatis*, aut *virgatis* fieret: ad quæ ideo craſſior lana quæſita fuerit, quod ea marginibus efferendis aptior eſſet. Nam ſic de *ſcutulato* Plinius eodem loco. *Iſtriæ Liburniæque pilo propior quam lanæ, pexis aliena veſtibus*; *& quam ſola vis ſcutulato textu commendat*. Sic, potius fortaſſe quæri diverſitatem oporteat inter *virgatum*, *& ſcutulatum*; quod *ſcutulatum* idem cum *lacuato* fuerit?

etsi nominis nulla necessitudine, tamen usu texentium. *Virgatum* autem æqua superficie differret ab utroque. Nec scio satis, an non alio præterea differant a *scutulatis*, *virgata*. Scilicet hæc genus ut dici debeant, illa vero species aut pars. Idemque auguror placuisse Rubenio, quantum e paucis alibi lectis ejus verbis a me, queo suspicari.. Haud enim vidi Rubenium. Sed iterum de hoc postea. Omitto nota quæ sunt referre: sicut, auctore Plinio; *Scutulis dividere, Galliam instituisse*. Indeque de Gallis dictum a Virgilio, Æneidos octavo: *Virgatis luceat sagulis*. Sive cum Servio, *virgas* in sagis Gallorum fuisse purpureas, ex Gallica vocis origine credamus, adeoque saga, ut ipse loquitur *purpurata*; non, ut ex eo Scaliger, *purpurea*. Quomodo ea dici licuerit, Pollucis verbo, *παραπόρφυρα*. Sive Scaligerum audiamus hunc ipsum, qui censet in conjectaneis ad Varronem, libro de L. L. quarto, nugari Servium, & nihil *virgati* nomen habere, vi suamet, commune cum purpura, sed notare tantummodo Rhomboeides atque articulatum opus. Ego vero, ut in loco Virgilii non ausim, de occulta quapiam ad purpuræ nomen allusione, quæ Galli-
ce

ce *virga* diceretur, Servio pertinacius refragari; ſic neque prohibere quidquam cenſeo, ne *virgata* perinde ſaga dicantur, ſeu diſcolores virgæ ſint, ut cum Silius in quincto: *virgata corpore Tigres*; id eſt, Solini verbis, *Fulvum habentes nigrantibus ſegmentis interundatum*; ſive etiam reliquo ſint fundo virgæ concoloris, dummodo ſic virgis diſtincto; & nihilominus, niſi aliud, hoc ſaltem dederim Servio libenter, *ſagos* fuiſſe Gallis intertextos purpura. Nam & vicinos Gallorum Hiſpanos eadem uſos, in tertio Polybii video; non quidem aſſuta, ut eſſent veſtes παραπόρφυροι, ſed tamen *aſſuta, & prætexta*: unde tunicas eorum dixit περιπορφύρυς. Nec diſſentit a purpura *lucendi* verbum, quod eſt in verſu Poetæ: *Vergatis lucent ſagulis*. Nam *ſplendere*, ac *lucere* proprium fuiſſe purpuræ, vel ex hoc Horatii manifeſtum: *Purpureus late qui ſplendeat unus & alter Aſſuitur pannus.* Cui opponitur *ſplendenti* atque *lucenti*, quam ſibi emtam *obſcuriorem purpuram* aliquando querebatur, apud Macrobium, Auguſtus, libro Saturnalium primo. Etſi non me latet, a doctiſſimis quibuſdam animadverſum, in primiſque a Velſero, *de Boicis rebus*, *lucere* hic, apud Virgilium,
non

non nisi de auro capiendum intexto sagis Gallicis; idque interprete Silio, qui dixit in quincto, de Gallis itidem: *aurata vestes illis*. Sed parum moveor. Hoc enim Silii facile possum alio referre. Ergo, ne plura, videmus in Gemma sagulum. Atque id *virgata*, praetereaque *scutulata*, sive *laculata* texturae. Poterat de textura satis esse dictum, nisi me res pusilla quaedam adhuc moraretur; adeoque pusilla, oculos ut paene fallat, sed minus attentos. Me quidem haud fugit, scilicet praetermittentem nihil, quo tibi obsequerer. Itaque neque hanc omisero, cum praesertim faciat ad ea quae praestruxi. Quaenam vero ista res? Ecce tibi. Viden in sagulo dependentes alicubi crassiores quasdam & oblongas villorum veluti pinnas? Ergo caelator intelligi voluit expressam a se *villosam vestem*, quales dixere Graeci *μαλλωτὰς*, Latini aliquando *Gausapinas*. Ut, quas Plato ille Comicus, *villosas chlamydes*, *μαλλωτὰς χλαμύδας*. Earum diversa esse, pro gentium ac linguarum varietate, nomina, sed genus unum, ostendisse Varro mihi videtur, nisi faede corruptus locus omnino sententiam occuleret. Sic autem, uti nunc legitur ille, in quarto de L. L. *Quibus operie-*

riebantur, *operimenta*, *& pallia*, *opercula dixerunt*. *In his multa peregrina*, *ut Sagum*, *Reno Galli quid gaunacumma*, *ejus ſagum*, *& amphimallum Græca*. Poſtrema cum ſenſu careant, in prioribus unum hoc vellem, ſcilicet ut quæ poſt vocem pallia diſtinctio eſt, ea tolleretur, ac tranferretur poſt, *opercula*; ſic fiet conjunctim, *pallia opercula*. Puto enim Varronem voluiſſe: Latinos quibus operiebantur dicere dupliciter ſolitos, aut *operimenta*, aut quod eſſet idem vocibus duabus, *Pallia opercula* id eſt, *operiendo facta*. Reliqua, cum ſenſu careant, emendare conatus eſt Vir ſummus Joſephus Scaliger ad hunc modum: *In his multa peregrina*, *ut ſagum*, *Reno Gallica*; *Gaunacum majus ſagum*, *& amphimallon Græca*. Sed quî probet Gaunacum eſſe Græcam vocem, perinde ac eſt vere *Amphimallon*? Pollux quidem Babylonicum affirmat. Interpres vero Ariſtophanis, Barbaricum. Ego, ut breve faciam, Varronem exiſtimo, cum exponeret Gaunacum, habuiſſe in animo verſum Ariſtophanis e Ranis; quo verſu Bdelycleon quidem ab aliis veſtem appellari *Caunacum* dixit, ab aliis *Perſida* ſive *Perſicam*: οἱ μὲν καλοῦσι περσίδα, οἱ δὲ καυνάκην. Hanc ergo *Perſicam* ipſam in his

his latere, quæ corrupte leguntur, *ejus ſagum*; unde fiat *Perſicum*; poſterior enim pars nominis Perſicum, id eſt, *Sicum*, facile detorta fuerit in *Sagum*, propter cognatas litteras *c*, & *g*, quo ſemel admiſſo, jamque omni ſublata luce, ut quod ſupererat otioſum *Per*, ſaltem haberet aliquem ſenſum, diducta vox, & ſeparatim ex *Per*, factum eſt, *ejus*. Quare ſic puto legendum: *In his multa peregrina; Sagum, Reno Gallice; id Gaunacum Perſicum; Amphimallon Græce.* Hoc eſt: *Sagum* Gallice *Renonem* dici. Perſis id eſſe quod vocent ipſi *Gaunacum*. Sua vero Græcis voce, *Amphimallon*. Veriſſime. Quippe *Amphimallon*, ut notum eſt, villoſa veſtis utrimque, ut Lucilius, *Amphitapa*. *Gaunacum* Ariſtophanes comparat *Siſyræ*, quam Pollux veſtem docet fuiſſe piloſam, ἔντριχον. De *Rhenonibus* notum, quibus uti conſueſſe Germanos brevioribus tradit Cæſar in ſexto de B. G. *Pellibus aut parvis Rhenonum tegumentis utuntur*. Deque his Iſidorus: *Veſtimenta villis adeo hiſpida, ut imbres reſpuant, quos vulgo reptos vocant, eo quod longitudo villorum quaſi reptat*. Quidni igitur optime Varro dixerit, quod *Rheno* Gallis, id Perſis eſſe *Gaunacum*, *Amphimallon* Græcis? Hæc eo adduxi, ut gemmæ tuæ

ſa-

ſagum illuſtrarem, oſtendens, id ex eorum eſſe genere, quos, libro quarto, Strabo dixit in Gallia texi σάγυς δασεῖς, nempe *villoſos* & *denſos*. Multum autem ſagorum; ἀφθονίαν, ut verbo utar ipſius; e Gallia Romam advectum docet paullo poſt idem auctor. Quare autem hujuſmodi potiſſimum uteretur ſago noſter hic miles? Nam de hoc etiam volo quæramus. Enimvero, propter cauſſas omnino duas. Primum, quod fere milites, in rebus aſperis, conſueſſent craſſioribus ac durioribus uti veſtibus. Nam Cæſar hæc habet in tertio de B. G. *Atque omnes fere milites, aut ex ſubcoactis; aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas, aut tegmenta fecerant quibus tela vetarent*. Sed & altera eſt cauſſa, quæ hunc e mari ſoſpitem attingat multo etiam magis. Etenim propria navigantium villoſa veſtis, & Gauſapina. Docetque id plane Seneca, epiſtola tertia ſupra quinquageſimam. Ibi de tempeſtate loquitur, quam, cum ingrueret naviganti, ſeſe nando effugiſſe narrat; deſiliiſſeque Gauſape contectum in undas. Neque id ægre, utpote lavari ſolitum frigida: *Sed memor artificii mei veteris, mitto me in mare; quomodo Pſychrolutam decet, Gauſapatus*. Animadvertendum autem,

tem, vocem proſtremam, *Gauſapatus*, jungendam cum prioribus illis: *mitto me in mare*; interjectis, velut parentheſi, quæ ſunt in medio: *quomodo pſychrolutam decet*. Neque enim ideo *Gauſapatus* fuit Seneca, quod eſſet veteris artificii ſui memor; id erat lavari frigida: ſed hujus artificii cauſſa, videlicet quod lavari frigida conſueſſet, nihil extimuit marinas atque frigentes undas, ac ſe Gauſapatus miſit in mare. Pendet ex hac diſtinguendi ratione ſententia: quæ minus animadverſa diſtinctio, viro doctiſſimo Juſto Lipſio perſuaſit, ut crederet, *Gauſape* lavantium frigida propriam eſſe veſtem. Junxit enim *Gauſapatus* cum iis quæ ante ſunt; *quomodo pſychrolutam decet*. Hinc ergo & miles villoſo contegitur ſagulo, quaſi *Gauſapatus*, quippe cui res eſſet cum mari. Utilitas autem ejuſmodi veſtium, quas Græce poſſumus dicere ὑδροβαφεῖς & ψυχροβαφεῖς, ex allatis a me ſupra de Rhenone verbis Iſidori eſt aperta: *Veſtis adeo hiſpida, ut imbres reſpuat*. Sed tempus, ut abſolutis veſtibus, earumque textu, veniamus ad rem cui ſeſe voluit miles intentum repræſentari. Erat enim id a me quarto propoſitum loco. Quam quidem ego rem argumentari ex indicio

dicio mihi videor triplici. Primum e loco, in quo ſtat. Secundo ex Urna, vel Urceo, quem habet in manu. Denique nonnihil etiam ex illa capillorum ſerie promiſſa dextrum in humerum. Initium ab *Vrna* faciam, vel *Vrceo*. Videmus hominem facie juvenili: notari hoc volo futurum mox opportunum: uno genu demiſſo, invergentem neſcio quid in mare; fere illa ſpecie, qua, uti Manilius loquitur, inter ſidera, *Inflexam defundit Aquarius urnam*. Conſtat autem e ſupplici ritu, aliquid fieri ſacræ ab eo juvene rei. Tantum quæritur quidnam ſacræ rei maxime? Et quidem videtur in promtu eſſe, hunc, ut fieri ſolitum in ſacris, *libare*, aut *dare*, aut *fundere* Neptuno vinum. Quam ad rem ſimillima ſtatim occurrent, & quaſi germana, quæ ſunt in quincto Æneidos: *Stans procul in prora pateram tenet, extaque ſalſos Porricit in fluctus, & vina liquentia fundit*. Et quæ paullo ante Cloanthus precatur quidam, vota faciens æquoreis Numinibus: *DI quibus imperium Pelagi, quorum æquora curro, Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum Conſtituam ante aras, & vina liquentia fundam*. Nonne carmine quidem Virgilium, cælo autem artificem dicas id ipſum exhibuiſſe? Videtur

tur ſane. Verumtamen obſtat, niſi plane fallor, unum. Scilicet hic miles Urceo defundit; atqui Romanis haudquaquam erat mos, uti, cum libarent, *Urceo*, ſed *Patera*. Notum ex Varrone in quarto de L. L. *Patera, eo quod pateant, Latine ita dicta ... & in ſacrificando Deis, hoc poculo magiſtratus dat Deo vinum*. Sic Græcos *phiala* dediſſe vinum in ſacris; quæ non ſecus ac patera fuit, ſicuti docet Athenæus in ſecundo, lati oris: poſſumus ex Aſclepiadis Murleani dicto cognoſcere, apud eundem Athenæum, in excerptis undecimi libri. Nam is *Aliſum*, ſeu δέπας poculi genus phialæ ſimile, φιαλῶδες hinc argumentabatur, quod Homerus *eo fecerit libari*: σπένδουσι γὰρ ἐν αὐτῷ. Quapropter in Gloſſis Philoxeni redditur alterum alteri: *Patera*, φιάλη. Ac Virgilius harum obſervantiſſimus rerum, quos inducit libantes, dat iis Pateram. Dixit enim: *Pateram tenens*; tum deinde: *vina liquentia fundit*. Ergo fundi mos erat *ex Urceo*, ſeu *Gutto*, quo nomine utitur, apud Nonium, Livius Andronicus, aut Græce προχόῳ, in *Pateram*, aut φιάλην, eaque libari. Cum autem in Gemma non pateram, ſed Urceum præferat homo defundens, facit hoc, ut Urceum ego iſtum eſſe non vini pu-

putem, sed quem *Urceolum aquæ* dixit apud Nonium Varro, in voce Trulleum. Græci χέρνιβα. Varro etiam *Urnulam* apud Nonium, libro de Vita Pop. Rom. primo. *Item ex ære, ut Urnulæ aquales, matulæ, sic ceteras*; ita enim legitur in Nonio, quo utor, Hadriani Junii. Sed omnino pro, *sic ceteras*, legendum est, *Nasiterna*. Quippe Urcei species *Nasiterna*. Sic enim Fulgentius: *Nasiterna, est aquæ Urna, id est Urceus. Unde Calpurnius Phronesi fabula: Ubi tu Nasiternatus aquam petas*. Vellem & alterum Varronis locum, apud Nonium, ubi de aquæ Urceolo, paucis attingere; quem Scaliger ad Festum, cum pertractaret, emendareque cuperet, nescio, si fas dicere de tanto viro, an effecerit. Verumtamen nihil est cur sim tibi molestus pluribus: Ceterum velim animadvertas, etiam ex breviore collo, factoque ad profundendum ore hunc Urceum aquarium prodi: eoque differre ab iis, qui cum *Funderent minutatim*, ut Varro loquitur, *a guttis* appellari *Gutti* potuere. Quorumque videmus imaginem in Nummis C. Cæsaris, M. Antonii, Lentuli, P. Clodii, atque aliis. Cum autem hæc ita sint, quid ergo sibi velle dicamus, quidque aquario mili-

tem Urceo fundere? Antequam de hoc exponam quid mihi videatur, volo, ficut prædixi, locum infpiciamus, in quo fupplicem fefe ifte homo præbet. Nonne autem is locus eft ipfo in extremo littore? Quod Homeri dicatur verbis: ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης. Pindarus, uno aliter nomine: ἐπὶ ῥηγμῖνι πόντου. Sive, ut Homerus iterum: *in acta ftreperi maris*: παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο. Itaque hunc hominem, quod ibi loci Græcos facientes induxit Homerus poftquam peftilentia foluti fuerant, primum ut expiarent fefe, tum vero facra deinde facerent, hunc inquam itidem in littore illud agentem quod erat prius, agnofcere videor mihi. Id eft obeuntem, ut Græci dicunt, *ea quibus opus ante facra*, τὰ πρὸ τῶν ἱερῶν. Sunt autem *purgationes* & καθάρσια. Dupliciter autem egere purgationis poterat, & ne impurus faceret Diis; ut cum Plautus: *Eo lavatum ut facrificem*, & propter periculum quo fuerat defunctus. Nam irati Numinis argumenta effe cafus & pericula credebant veteres; unde illa Virgilii: *quo Numine læfo, Quidve dolens Regina Deum tot volvere cafus Infignem pietate virum*? Ergo expiare fefe propter utrumque naufragus debuit. Hoc primum.

Jam

Jam vero purgationis,qua Græci utuntur ad mare, partes facit Homerus duas; quarum prior eſt expiari, poſterior vero purgamenta, vel ut ipſe, λύματα, id eſt, *una cum ſordibus ablutiones* in pelagus fundere: οἳ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματα ἔβαλλον. Hoc ergo ultimum, id ipſum eſt quod facere auguror militem. Scilicet poſteaquam expiaverat, ablueratque ſeſe, profundere, ut verbis dicam Tertulliani, *aquam purgatricem in mare*. Eoque magis, quod ex Didymi ſimul & Euſtathii rationibus potior in hac re pars fuiſſe videtur, & quaſi perfectio purgationis. Etenim docent, ideo purgamenta in mare ſolitum fundi, quod nihil eſſet natura potentius ad purgandum mare: διὰ τὸ φύσει ῥυπτικὸν εἶναι τὸ τῆς θαλάσσης ὕδωρ. Propterea que credo veteres, quod mari traderetur, id prorſus elutum exiſtimaſſe. Atque inde iſthæc interpretor Horatii: *triſtitiam & metum Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis*. Addere poſſem alia; ſed parco pluribus. Ergo expiatum ſeſe, quaſique, ſi dicere licet, expiando litaſſe, declaravit eleganter, qui cælari voluit in mare diffundens purgamenta. Confirmor autem indicia ſacri jam initi, ſed nondum perfecti nobis in Gemma

præberi vel propter eam, quam indicavi ſupra, capillorum ſeriem dextrorſum pendentem in humerum. Hanc enim arbitror Neptuno reſervari, mox inter ſacra ponendam. De qua nihil præter Pollucis afferam verba, plane facta noſtram in rem, e capite quincto libri ſecundi. Fuiſſe quorumdam ait, alere ſeriem capillorum, quæ dici poſſet etiam *πλοχμὸς*, aut *σκολλὺς*, aut etiam *catena σειρὰ*: eamque Diis, vel Fluminibus haberi ſacram: promitti vero ſive in frontem conſueſſe, ſive obliquam in humeros. Cape nunc Gemmam tuam, & confer, & vide an congruat? Verba Pollucis: *ἔτρεφον δέ τινες ἐκ πλαγίου κόμην, ἢ κατόπιν, ἢ ὑπὲρ τὸ μέτωπον, ποταμοῖς ἢ θεοῖς· καὶ ὠνομάζετο πλοχμὸς, ἢ σκολλὺς, ἢ σειρὰ τριχῶν*. Si fuiſſet Polluci propoſitum aliquid iſtam ad Gemmam ſcribere, quod ego nunc obtemperans facio tibi, putamus ne potuiſſe verbis illum aptioribus uti? Ergo ubi primum ſeſe rite purgaſſet miles, erat jam ipſam, ut puto, ſeriem, aut *catenam* capillorum Neptuno poſiturus. Et quidem ſimul cum indumentis. Nam ea, niſi fallor, utcunque injecta ſibi propterea voluit, ut oſtenderet ſacra, foreque ſuſpendenda Neptuno, ut in illis Horatii: *Me tabula ſacra*

Voti-

Votiva paries indicat uvida suspendisse potenti vestimenta maris Deo. Quod tamen haud proprium tantummodo fuisse naufragorum, ut appenderent vestimenta, sed commune omnium quicumque adversa ex re in prosperam erepsissent, Aristophanes docet, in Pluto. Ubi quendam Justum nomine, summa ex inopia repente auctum opibus facit vestimenta suspendentem Deo, quibus antea pauper indui consueverat: ἀναθήσων ἔρχομαι πρὸς τὸν θεόν. Atque ita de quatuor ex iis quæ fuerant a me quinque proposita satis dictum. Puto autem adhuc ex omnibus confici, cælatorem dedisse operam, uti sua nobis exhiberet arte, quod æque versibus intuendum præbuit in Trinummo Plautus. Hominem videlicet sic Deo maris agentem gratias: *Salsipotenti & multipotenti Jovis fratri & Nerei Neptuni Lætus, lubens, laudes ago, & grates gratiasque habeo, & fluctibus salsis, Quos penes mei potestas boni misque foret, & meæ vitæ: Quom suis me ex locis in patriam urbisque mœnia reducem faciunt. Atque ego, Neptune, tibi ante alios Deos gratias ago atque habeo summas*. Quibus elegantissimis profecto versibus, cum argumentum Gemmæ contineri jure possumus dicere; tum eorum in primo, si pro

 Nerei

Nerei Neptuni, legamus, per hyphen *Nereo Neptuno*: ſicut & *Salſipotenti* dicitur prius, & *multipotenti*; tum in tertio, ſi ex *miſque* daciamus *unice*: facili, ut puto, negotio querelas doctorum hominum de hujus loci corruptione compoſuerimus. Quibus, ut ajebam, abſolutis, nunc *venimus ad ſummam fortunæ!* Sunt enim exponendæ ultimo loco ſingulariæ litteræ. Quas, ut verbo dicam, ſic mihi, ſtatim ac adſpexi, venit in mentem efferre: CVRIO. OPTIO. T. LABIENI. Reddenda vero eſt ratio ſingulorum. Initium capiam ab ultimis. Faciamque ut appareat prænomen Titi non male jungi cum Labieno. Quod inductione quadam poſſum confirmare: ſcilicet Labienorum fuiſſe prænomen Titus. Ergo Titus erat is, cujus frequens in Cæſaris rebus mentio, Labienus. Quique cum, ut ipſe auctor eſt Cæſar in octavo de B. G. huic noſtræ Galliæ togatæ præeſſet, atque, ſicut ad Tironem Cicero, *ſummam auctoritatem* in Cæſaris *exercitu haberet*, *ſocius ſceleris eſſe noluit*, adeoque tranſiit ad Optimates. Quapropter ad Atticum idem Cicero vocat Ἡρωα. Etſi Dio, pro ſuo more, Labieni conſilium interpretatus eſt multo aliter. Denique cecidit is

in

in prælio ad Mundam. Pariter absque dubio Titus apud omnes, λαβιηνὸς ὁ λαβιηνοῦ, sic enim Appianus, nimirum hujus filius quem dixi modo; Dioni λαβιηνὸς ὁ Τίτος. Transfugit hic ad Parthos, cæsusque a Ventidio Basso est. Addo tertium Labienum, illum Declamatorem haud ignobilem, quem Seneca in quinto Controversiarum ait: *Pompejanos spiritus nondum in tanta pace posuisse*. Ejus, quia, ut idem Seneca, *passim homines ordinesque laniabat sic ut Rabienus vocaretur*, libri combusti sunt e Senatus-Consulto. Sed & hunc prænomine fuisse Titum Suetonius ostendit his verbis, in Caligula: *Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta Senatus-Consultis abolita, requiri & esse in manibus lectitarique permisit*. Denique cujuspiam æque Titi Labieni mentio in lapide, qui Clarmonte fuit, in Gallia, repertus. Hunc affert, pag. sui operis tricesima septima Gruterus: ALLIA T. LABIENI. VXOR. BELENO. D. D. Et quidem Reinesius hanc epigraphen ad illum refert Labienorum, quem ego primum appellavi. Sed profecto certi nihil. Immo plurimum incerti. Nam, quo videtur niti, plane infirmum est. Ait, ALLIA, nomen Uxoris Labie-

ni, ex malo errore marmorariorum, factum pro ATTIA, inducto pro TT duplici, duplici LL. Quippe Labienis gentile fuisse nomen ATTIVS, adsertum ab antiquariis doctissimis Manutio, atque Pighio. Uxoris autem maritorum nominibus censeri adpellarique. Sed quid opus emendationibus? Quarum profecto Reinesius nimium est largus. Nam primum, gentile nomen Labienorum Pighius fecit non ATTIVS, verum ATIVS, T simplici. Et sic esse quidem oportuit, si modo, quod blanditus Augusto, cui ATIA mater, Virgilius vult, ATII sunt ab ATY. Pariter & Manutius, ad Ciceronis epistolam decimam quartam, libri quarti supra decimum. Etsi, nescio quomodo, in argumento orationis pro Rabirio, editum ab eodem est Manutio: *T. Attius Labienus*: alii enim ab ATTIIS, in lapidibus, ATII. Deinde cur *Alliam* convertamus in *Attiam*? Quasi mentio rara sit Gentis *Alliæ*? Quasique non ipse Reinesius, nihil ut de Gruterianis dicam, in suo ipsius opere, non *Allios* plus vice simplici potuisset agnoscere. Certe inter Consulares interemtos a Commodo numeratur apud Ælium Lampridium, *Allius Fuscus*. Quod autem necessario

ſario putat, Uxor quæ eſſet Labieni nomine dicendam *Attiam*, ubi ille *Attius* diceretur. Gentilitiis enim cenſeri mulieres nominibus maritorum; id ut ſæpe non nego fieri, ita ſemper haud ſane dederim. Ecquis enim ignorat conjuges, Gracchi Corneliam, non Semproniam, Ciceronis Terentiam, non Tulliam, Octavii Auchariam, & Atiam (ex eadem hac Gente cum Labieno) pro Octaviis; & innumera hujuſmodi? Vidi etiam lapidem apud Joſephum Caſtalionem, Ciceroni, ut exiſtimat ipſe, coævum, in quo Craſſi Uxor, non Licinia, ut ex ea debuit regula, ſed, METELLA. CRASSI. F. Q. CRETICI. id eſt Uxor Craſſi, ſcribitur. Quæ cum ita ſint, cumque neſciam an occurrant Allii ſub Julio Cæſare, quamquam ſub Claudio ſuſpicio eſt mihi nomen iſtud reperiri; puto eum, de quo nunc, Labienum diverſum ab illo eſſe Cæſariani temporis, &, niſi fallor, natione Gallum, ducentem vero, ſicuti mos fuit, nomen a Labienis. Adeoque habere nos quartum, aut etiam quinctum: nam & primus ille Titi erat filius, cum eo prænomine. Ergo Tito penitus convenit cum Labieno. Non igitur male quis interpretetur eas litteras T. L.
effe-

efferatque, *Titi Labieni*. Verumtamen non adeo fuit de Labieno difficile. Nexus est in eo negotii; quomodo possit Curio cum T. Labieno componi? Tum quisnam iste Curio? Quorumque homo temporum? Et qua ratione dicatur *Optio* Labieni? Addam ne etiam, quid Curioni cum naufragio? Ut libet. Etiamne, quid Curioni maxime cum ejusmodi vestibus? Fiat: & quid ipsi cum facie invenis? Haud recuso. Quibus tamen de rebus ego sic exponam sententiam meam, ac non quidem ea dicantur a me quæ vera esse sponsione contenderim, sed quæ sic sese habere uti videtur mihi nihil prohibeat, quod ego sciam. Itaque ordine ad singula. Curiones, quantum ad me attinet, cum Labieno illo Cæsaris vixere tres. Quorum duo quidem admodum celebres & clari. Tertius vix, nisi tristi exitu notus. Ut mirer Valerium, qui libro nono mutationis exemplum insigne sumsit e domo Curionum, quod Patris, ut ipse loquitur, *gravissimum supercilium forum adspexerit*; *filii vero sexcenties sestertium æris alieni, frugalissimum alterum, alterum nequissimum*: ut mirer, inquam, Valerium non etiam tertium exemplum continuæ mutationis in illa domo nepotem proposuisse infeli-

felicissimum. Scilicet ut ex adverso Plinius, libro secundo, capite quadragesimo primo, summæ facit exemplum triplex felicitatis: *tres in eadem Curionum familia continua serie oratores extitisse*. Nisi quod, neque Pater neque avus tertii Curionis viderunt exitum. Ergo duo priores ii sunt quos apud Veteres frequenter videmus appellari, *Curionem Patrem*, *& Curionem Filium*, atque ita distingui. *Curiones* alicubi Tullius dixit, utrumque horum intelligens. Quorum is, quem *Patris* nomine ajebam designari, *C. Scribonius Curio erat*, Vir Consularis, itemque triumphalis ex Macedonia. Dicitur male in Frontini, quo utor, libro editionis Plantinianæ, *M. Scribonius Curio*, cum fuerit *Cajus*, non *Marcus* nomine. Sic numeratus inter Oratores, ut, auctore Cicerone in Bruto: *copia verborum, nullo alio bono teneret Oratoris locum*. Itaque dictio ejus a Seneca, in epistolis, cum dictione *Crassi* atque *Gracchi* componitur. Sed actio ea erat, quæ, ut verbis ejusdem Tullii dicam: *cachinnos irridentium commoveret*, quibus ex verbis intelligi caussa potest ejus quod Valerius narrat. C. Curioni ab quodam Scenico Burbulei cognomen adhæsisse. Plane uti Cicero in Bruto,
sed

ſed e contrario, ab Sex. Titii narrat geſtu ſoluto&molli *ſaltationem quandam eſſe natam, cui ſaltati oni Titius nomen eſſet*. Hic ille Curio, qui Ciceronis conſulatum ἀποθέωσιν ſolitus appellare, ut ipſe ad Atticum, in ſecundo, Cicero. Hujus Filius alter eſt Curio; quem *turbulentiſſimum Tribunorum* Suetonius appellat in Julio. Et quidem ille notus maxime Tribunatu Plebis; in quo miras ejus artes pro Cæſare cum alii deſcribunt, tum in primis Appianus, libro ſecundo Civilium. Deſignatur, uti dixi, frequenter a Veteribus, & paſſim a Tullio nomine *Curionis Filii*. Sed latius a Plinio ſic; *C. Curio, qui bello civili in Cæſarianis partibus obiit*. Cæſus enim in Africa eſt cum exercitus haud exigua parte a Rege Juba, dum pugnavit pro Cæſare. Qua de re ſcriptores illorum temporum, & ipſe Cæſar in ſecundo de bello Civili, ſub finem. Igitur hi Curiones duo; ſed neuter ad rem noſtram. Niſi quantum erit nobis Pater cum Filio neceſſario conferendus. Jam ergo tertius reſtat, de quo Dio; nam cetera obſcurus eſt; initio libri quinquageſimi primi, cum in ſuperiore libro Auguſti victoriam Actiacam retuliſſet. Ibi enim commemorans paucos, qui ex illuſtri genere

ſunt

ſunt ab Auguſto interemti, quod Antonii foviſſent partes; ait, conſpicuos in eo numero fuiſſe maxime Curionem, & Aquilios duos, Patrem & Filium. Hos quidem propter mutuam ipſa in morte pietatem; illum, quod ejus Patre Curione Julius Cæſar tantopere fuiſſet uſus. Quaſi mirarentur homines haud potuiſſe merita Patris Filio veniam impetrare. Atque hunc tertium Curionem eſſe illum dico, qui potuerit inſcribi *Optio Labieni*. Sic autem ineo rationem. Enimvero graves oportet Auguſtum adverſus Curionem habuiſſe cauſſas, inimicitiarum, quippe cui adduci non potuit ut parceret, quamvis, ait Dio, & Soſſio peperciſſet inimico illi ſuo ſummo ac celebri, & M. Scauro, qui Sex. Pompei frater ex matre fuit. Hujus autem acerbitatis quærens apud me cauſſas, non puto paternorum odio vitiorum in Curionem eſſe ſævitum; nempe quod ejus Pater Antonium inimicum Auguſti olim ſua conſuetudine atque libidine corrupiſſet. Scribit enim Plutarchus, in Antonio, *amicitiam Curionis ei ceu peſtem acceſſiſſe*: τὴν κυρίωνος φιλίαν καὶ συνήθειαν, ὥσπερ κῆρα προσπέσειν. Quapropter a Cicerone, in ſecunda Philippica, teterrimis inuritur notis. Non puto;

puto ; siquidem propius erat memorem Augustum sese præbere meritorum Curionis, quæ ab illa conjunctione, utcumque turpi, cum Antonio consequuta sunt erga Cæsarem. Sed neque inde repetendum odiorum caussam reor, quod Curio sequutus esset, adversus Augustum, partes Antonii. Nam licuisse per Augustum, ut cuique liberet, ad Antonium in bellum proficisci Dio testatur, libro quadragesimo. Hosque ad Antonium ex Urbe, non invito Augusto profectos, interpretor esse illos, quibus, ut postea loquitur Dio, venia pluribus concessa fuit. Itaque, ut quod sentio dicam, semper mihi visum est, ideo potius Curioni filio sese Augustum immitem præbuisse, quod ille contra Patris exemplum fautoris acerrimi Julii Cæsaris, adversas deinde partes, non tum primum cum Antonio, sed jam olim cum Pompejanis esset sequutus. Quasi transfuga Paterni obitus atque institutorem. Quod ab eo factum indicio mihi est hoc ipsum implacabile odium Augusti. Etiam fortasse non adeo iniquum, propterea quod incredibilia fuerant Julii Cæsaris erga Curionem Patrem beneficia & qui quî poterant esse majora? Cum Cæsaris unicus arbiter esset Cu-

Curio. Quod plane mihi constat e Ciceronis pluribus, maxime autem duobus ad Atticum locis. Nam epistola quartadecima libri noni Cæsaris hæc verba referuntur, quibus Curionem ut eximium se Duce appellat: *nihil Curionem se Duce facere, quod non hic* (Pompejus) *Sulla Duce fecisset*. Decimi autem libri epistola quarta, scribit Cicero se cum in colloquio ageret ut impetraret a Cæsare aliquid, Curionem hæc respondisse: *puta te impetrasse. Ego enim ad eum scribam, ut tu ipse voles, de ea re nos inter nos loquutos*. Viden arbitrium summum in Curione? Hinc ergo dignum existimatum arbitror filium ab Augusto cui minime ignosceret, ut non solum transfugæ, sed etiam ingrato. Ipsumque vicissim odium Augusti argumento mihi est, antiquum ad Pompejanos transfugam fuisse Curionem. Scaurus enim, cui opponit Curionem Dio, poterat pietatem erga Fratrem obtendere Sex. Pompejum. Curio, si Pompejanis adhæsit, primum fuit ingratus, deinde repugnavit Patri, vitam pro Cæsare qui fuerat pactus. Etsi nihil erat mirum hoc filium ausum facere, cum innata isti generi foret levitas. Etenim scribit Cicero vel de ipso Patre, in octava septimi

ptimi ad Atticum: *si Cæsar pulsus Hispania fuisset, putare se ipsum Curionem ad Pompejum transiturum.* Prudenter sane! poterat enim esse memor Consularis Viri sui Patris, cui Cicero, de officiis, testatur hoc semper in ore fuisse dictum: *Vincat utilitas*. In eo autem quod auguror de filio Curione confirmarer impendio magis, ubi verum esset quod Vellejus omnino contra Dionem scribit: Actiacam *victoriam* fuisse *clementissimam*, nec *multos*, ut Dio, sed *paucissimos interemtos, & eos qui deprecari quidem pro se non sustinuerant*. Nam dicerem: Ergo, vel antiquum adeoque obduratum fuit odium adversus Augustum hominis, qui neque prece mercari voluerit vitam: vel summa & vetus culpa, cui *neque clementissima victoria* pepercerit. Etsi vereor ne adulantis Augusto Velleii sit hoc. Quî enim unquam persuaserim mihi, vilissimum caput, & mulierem potius quam virum, Q. Ovinium haud sustinuisse pro se deprecari? Quem tamen Orosius inter occisos eo tempore numerat. Sed ut concludam, ego & ex ira, & ex caussis quas iræ magnitudo suadet, Curionem hunc tertium autumo veterum fuisse partium Pompejanarum sectatorem. Ex iis fortasse, qui post fugam Sex.

Sex. Pompeii ad insulas Ægæi maris, de qua Dio libro quadragesimo nono, hac illac dissipati, denique in Antonii castra defluxerunt. Quo gradu substructo, Curionem ut cum T. Labieno componam, scandendum est adhuc mihi, atque videndum, quandonam dicamus verosimiliter istum hominem factum fuisse Pompejanum? Principio igitur Curionem hunc afferam quando Patrem amisit vix ætate fuisse militari, quæ anno definitur decimoseptimo, Id autem colligo sic. Pater cæsus in Africa est cum exercitu C. Claudio M. F. Marcello, L. Cornelio Lentulo Coss. anno V. DCCIV. cum Tribunus Pleb. fuisset anno ante, L. Æmilio Paullo, & C. Claudio C. F Marcello Coss. Urb. DCCIII, quo, uti Lucanus loquitur, *superos humanaque polluit* anno. Hunc Tribunatum ut non obtinuerit anno suo, id est ætatis, præter propter, duodetrigesimo, saltem haud multum distulisse habeo quæ me certum faciant. Paucis ea complectar. Coss. Messalla & Pisone, id est duodecim ipsis ante Curionis obitum annis, cum ad Atticum Cicero scriberet, libro primo, epistola decimaquarta, de judicio illo pollutarum a Clodio religionum, hæc habet: *Concursa-*

bant barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinæ, Duce Filiola Curionis, appellat enim per contemtum ſic. Ergo numerat Curionem inter barbatulos juvenes, id eſt qui nondum lanuginem depoſuiſſet. Quod ſi barbatulus duodecimo ante obitum anno Curio, jam apparet quid ætatis cum eſſet occiderit. Verumtamen hoc de *barbatulo* nequaquam opinor arcte accipiendum. Quare? Quia, etſi Proquæſtor in Aſia fuit Calvino & Meſſalla Coſſ. ex Epiſtolarum Ciceronis libro ſecundo, ut additis ad hunc annum, quot ab illis Conſulibus numerantur, quibus Coſſ. *barbatulum* Cicero dixit, octo annis, ratio plane cadat in ætatem Quæſtoriam; tamen idem alia parte mihi videtur obſtare Cicero, atque oſtendere Curionem, uti jam dixi, non ſuo anno fuiſſe Tribunum. Fuiſſet autem, ſi ſtricte *barbatulus* potuiſſet appellari tum cum eſt a Tullio ita deriſus. Igitur Cicero, ea epiſtola qua Tribunatum ipſi gratulatur, ait, *non incidiſſe* Curionem *in id Reipublicæ tempus, ſed veniſſe*; tum: *judicio enim tuo, non caſu in ipſum diſcrimen rerum contuliſti Tribunatum tuum*. Incidiſſet autem, non veniſſet; caſu, non judicio cecidiſſet ille Tribunatus, ubi eum Curio anno ſuo, id eſt

quem

quemcumque sors ferret ætatis, obtinuisset: ergo non anno suo. Non tamen, ut ajebam, distulit diu. Quod rursus arguerim ex rebus ipsis. Etenim decennio ante obitum, id est Cæsare ac Bibulo Coss. inde conjicio nondum ætatis fuisse Quæstoriæ, quod Cicero in Bruto dicat, Patrem Curionis in Dialogo quem inter se ac filium habitum fecerat de actis eo Senatu quem Cæsar Consul habuisset, occasionem cepisse a percontatione, ut fit in Dialogis, filii, quidnam actum fuisset in Senatu? Ergo Curio filius non fuerat in Senatu Cæsare Consule. Non autem casu Filium haud interfuisse, verum ætatis caussa, mihi videtur aliunde confici. Nam ratione subducta redit hoc ipsum tempus in alterum illud, de quo Cicero libro secundo, epistola vero ad Curionem prima: *quantæcunque tibi accessiones fient & fortunæ & dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses*. Quæro; quandonam hoc dicamus fuisse olim, quando puer Curio paruerat consiliis Ciceronis? An biennio ante quam Cæsar ac Bibulus essent Consules? Nihil minus: quippe tum erat illud tempus, quo Cicero *barbatulæ* juventutis Cu-

rionem velut Imperatorem traducebat. Etiam ejus temporis hæc sunt ad Atticum libro primo, epistola decimasexta, quibus uterque Curio tangitur, Pater ac Filius: *Quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci? Quomodo sum insectatus levitatem senum, libidinem juventutis?* Tantum abest, ut Curio tum penderet a consiliis Tullii. At eundem Tullium aliter multo reperiemus loquutum, ea si legamus quæ scribebat ad Atticum Cæsare ac Bibulo Coss. videlicet libro secundo, epistola octava: *Et scito Curionem adolescentem venisse ad me salutatum .... ipse vero mirandum in modum Reges odisse superbos*. Quæ mera erant præcepta Ciceronis. Et octava epistola: *Emerseram commode ex Antiati in Appiam ad Tres tabernas, ipsis Cerealibus, cum in me incurrit Roma veniens Curio meus:* paullo post; *complexus juvenem dimisi*. Fit ex his, nisi fallor, tempus quo Curio Ciceroni parebat circa Cæsaris ac Bibuli consulatum fuisse; at puerum sibi Curionem olim paruisse testatur, ut vidimus, Cicero; itaque consequitur hanc pueritiam cadere circa tempora Coss. Cæsaris ac Bibuli, adeoque caussam ætatis fuisse quod in Patris Dialogo de actis in Senatu percontaba-

tabatur, neque enim adfuerat. *Puerum* autem in Tullio, & quam ego *pueritiam*, intelligo dicta latiuſcule. Aſſentior enim Paullo Manutio, in Commentariis Epiſtolarum Ciceronis dicenti: difficile creditu fore, Curiorem a Tullio *puerum* dictum eo ſenſu, quo *puer accipitur vulgo*. Atque affert exempla, pro ſua doctrina, quorumdam adultiorum, qui *pueri* dicti ſint. Cenſet autem *puerum* ibi dici poſt *ſumtam virilem togam*; id eſt poſt annum ætatis XVI. Ego crediderim eum qui Senatoriæ nondum eſſet ætatis. Ac *puerum* de Curione latius accipiendum etiam inde probaverim, quod cum oſtenſum a me ſit, eam apud Tullium Curionis *pueritiam* cadere circa Cæſaris ac Bibuli Conſulatum, eaque in tempora poſſit referri quod etiam in Bruto Cicero de hoc eodem: *qui ſi me audire voluiſſet, ut cœperat*. Iis tamen ipſis Conſulibus Curioni tribuuntur quæ majora puero ſunt, epiſtola decima octava libri ſecundi ad Atticum: *Vnus loquitur, & palam adverſatur adoleſcens Curio: huic plauſus maximi*, & quæ ſequuntur. Atque cum hæc ita ſint, ab anno quibus fuere Coſſ. Cæſar & Bibulus, ſi ad annum venias eum quo dixi Curionem obiiſſe, apparebit non late jam, ut cum de *puero* lo-

quutum Ciceronem in Bruto ; ſed proprie ſic : *ſacienda mentio eſt, ut quidem mihi videtur, duorum adoleſcentium* (Curionem & Calvum intelligit) *qui ſi diutius vixiſſent, magnam eſſent eloquentiæ laudem conſequuti*. Etiam proprie Cæſarem, qui libro ſecundo de B. C. audaciam excuſans quæ Curioni fuit exitio, ſic loquitur : *Multum ad hanc rem probandam adjuvat adoleſcentia*. Ubi certe non ſic dicitur adoleſcentia, ut late ſumi aliquando ſolet. Adoleſcentia enim late ſumta, nominis eſt adoleſcentia, non rei veræ. Nomen autem confert ad rem veram prorſus nihil. Igitur de illa Cæſar dixit adoleſcentia, quam Ariſtoteles in Politicis, *vigere* ἀκμάζειν ait annum intra quinctum ſupra viceſimum. Jam vero ſuperiora ſi bene deducta ſunt, ut id ætatis cum eſſet Curio perierit ; ſequitur, ut vel maxime cito is filios ſuſcepiſſet, certe, ſummum ut dicam, non infra decimum quinctum annum : hoc enim haud natura patitur. Non ergo poterat filius major eſſe illa quam adſignabam ætate. Neque videtur ei tum potuiſſe per ætatem licere diverſas partes a Patre ſequi. Neque tamen quemadmodum ætas non ea, ut jam tum dicamus Pompejanum, ita minor quam ut ejus

caussa particeps rerum Patris esse posset. Quod ex his puto: Curio filius fuit statim interfectus ab Augusto, post victoriam Actiacam; id est anno Urb. DCCXXII., sive duodevicesimo ab interitu Patris; illaque adeo ætate, quam, ut diximus, veteres frequenter appellant adolescentiam. Qui si Patri non multo ante obitum fuisset editus, mors ejus incidisset in *pueritiam*, sic dictam more, ut vidimus, veterum. Quo constituto; jam Dio narrat, mirum eo tempore omnibus accidisse Curionis occidi filium. Caussam vero mirandi, quod ejus Pater adeo carus, adeoque utilis olim fuisset Julio Cæsari. Atqui si præterea ætas accessisset, illud ut dici posset: *Heu miserande puer!* vix arbitror fieri potuisse, ut Dio, cui mos in hoc genere omnia conquirere, non etiam hoc adderet; eoque magis admiratos homines, quod contra pene puerum esset sævitum. Quas ad rationes, hinc & inde collatis invicem omnibus, illud mihi fit maxime verisimile, Curionem filium amisisse parentem suum, cum esset ipse mediæ fere pubertatis. Atque his ita, pro re, subductis, vide quid instruam! si Curio filius id erat ætatis quando Pater in Africa rem gerebat, putare me, difficile

factu fuisse, filium ut Pater non secum educeret in castra. Non dico propter exempla veterum, sicut Æmilius filium suum Africanum minorem, qui septimum decimum ageret itidem annum, adversus Perseum eduxerat. Nam vetera, inquam, isthæc. Sed propter duas maxime caussas. Primum, quod Curio Pater *Fax* Vellejo dicitur *Civilis Belli*; ut qui tantopere incaluisset animo in caussam Cæsaris, facile credi possit corripuisse filium eadem in arma. Deinde quod res Curionis, cum ex Tribunatu Plebis aufugeret, angusto Romæ loco erant. *Decurritur*, ait Cæsar in primo de B. C. *ad illud extremum atque ultimum* S. C. *..... dent operam Consules, Prætores, Trib. Plebis, quique Consulares sunt ad Urbem, ne quid Respublica detrimenti capiat*. Videt quisque quidnam hoc sibi velit! Et mox: *De amplissimis Viris Tribunis Pleb. gravissime acerbissimeque decernitur. Profugiunt statim ex urbe Tribuni Pleb. seseque ad Cæsarem conferunt*. Appianus vero, in secundo Civilium: *Curio sibi ipsi timens*, δείσας ὑπὲρ ἑαυτοῦ, *concito studio sese proripuit ad Cæsarem*. Quo quidem in timore par est vaferrimo ab homine prævisa quæ & consequi poterant, & pæne sunt consequuta.

quuta. Sicut ea, de quibus anno sequenti, Curio ipse apud Ciceronem ad Atticum, libri secundi epistola quarta: *Eum* (Cæsarem) *plane iracundia elatum, voluisse occidi Metellum Tribunum Pleb. quod si esset factum, cædem magnam futuram esse*. Tanta igitur in flamma perturbationum, & si forte cædium, ecquis credat filium grandiusculum a Curione fuisse relinquendum? Neque abductum & receptum ad Cæsarem? Quæ si veri non sunt absimilia, nimirum Filium in Patris fuisse contubernio; jam ego facile viam invenero; qua hunc juvenem, cujusmodi tua Gemma præfert, cum Labieno conjungam, simulque conjiciam de tempore, quo fieri potuerit Pompejanus. Ergo cogitandum, cæsò Curione, quid reliquiis factum sit ejus exercitus, ex Dione, Appiano, aliis; maxime autem Julio Cæsare, sub finem secundi Civilium. Paucissimi ac rari navibus in Siciliam relati. Aliquot, e Dionis libro quadragesimo primo licet argumentari, dono datos a Rege Juba, Cn. Pompejo Magni Filio. Multi Jubæ crudelitatem experti, cum ante in Vari fidem concessissent. Qui superfuere, sub ejusdem Vari signis, inque hujus exercitu, facti sunt omnes ex-

tem-

templo Pompejani. Atqui, si Curio Filius, ut saluti suæ consuleret, ex ea fuit majore parte Curianorum, qui sese ad Varum recepere, tum, quod fuisse nihil sane vetat, ex iis qui Jubæ perfidiam evasere: horæ momento, ecce illum e Cæsarianis castris forte fortuna, seu potius necessitate rerum delatum ad partes Pompeji. Jam vero non multo post, videlicet circa Urb. annum DCCVIII. cum turbaret in Hispania Cn. Pompeji magni filius, delecto in Africa Scipione, convenerunt in Hispaniam ex eadem Africa, exque partibus in quibus Curio Pater obierat, eoque classem adduxerunt, uti narratur a Dione, atque aliis, una Sext. Pompejus, Cn. Frater, Varus, & quoque Kabienus, cum quibus, absque dubio etiam eæ quæ supererant reliquiæ copiarum Curionis Patris. Quam igitur facile conjungi potest in hac expeditione Curio Filius cum Labieno! Ceterum ibi redintegratum est Civile bellum, exortumque Hispanicum; in quo denique Labienus periit ad Mundam. Sextus Pompejus ereptus fuga, traxit longam deinde seriem discordiarum pæne ad Actiaca tempora. Cui si fidus Curio perseveravit exinde ab rebus Hispanicis, reddi facile ra-

tio

tio possit implacabilis odii, quo illum Augustus est prosequutus. Hactenus quid Curioni cum Labieno? Verumtamen, ut etiam naufragium, etiam receptum in littora videas nequaquam a rebus Curionis dissita, utar ego adminiculo duplici ex antiqua memoria. Nempe loco uno Flori, de libro quarto, capite secundo; ac Dionis altero e tertio supra quadragesimum. Igitur initia Hispanici belli fuere Didium inter legatum Julii Cæsaris, & Varum unum e Ducibus partium Pompejanarum, sociumque Labieni ejus, quocum adstruxi Curionem filium versari potuisse. Porro de prælio isto navali, Flocum audiamus, eo quem dixi loco: *Primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque Legati conflixere; sed acrius fuit cum ipso mari, quam inter se navibus bellum. Siquidem Oceanus, utramque classem naufragio cecidit. Quinam ille horror, quum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naves, armamenta confligerent? Adde situs ipsius formidinem; vergentia in unum hinc Hispaniæ, inde Mauritaniæ littora; mare intestinum & externum, imminentesque Herculis speculas; cum omnia undique simul prælio, & tempestate sævirent.* Hæc de naufragio Florus, omnium unus,

hac

hac in re, Scriptorum diligens maxime. Nunc receptum videamus in ſtationem fidam, unde Curio gratias jure merito referret mari. Sequitur Dio, cujus Græca non refero, ne longum faciam: *Porro Varus* (Pompejanus) *a Didio, apud Crantiam, navali prælio ſuperatus, in terram evaſit: ac, niſi arrepto littore anchoras ipſo in ore portus ita jeciſſet, altera ut alteram colligaret, ſic ut ad eas inſequentium primi, quaſi ad vallum, illiderentur, actum de univerſa claſſe jam fuerat*. Labienum vides; pariterque Curionem vides; vides juvenem; præterea naufragium; ſalutem etiam in littore; denique debitas Neptuno gratias. *Optio* reſtat. De quo ſtatim: ſcilicet poſtquam veſtitum revocaverimus iterum paucis ad partes. Nam hic, ſi Curio eſt ille quem ajebam, apprime congruunt ei veſtes pluribus jam expoſitæ. *Scutulatum & virgatum* eſſe oſtendi *ſagum* in Gemma. Tum ejuſmodi fuiſſe Gallorum oſtendi; quin, teſte Plinio, *ſcutulis Galliam cæpiſſe dividere*. Ergo ex Gallorum convictu, qui plures cum Labieno erant, auctore Hirtio, poterat Curioni hoc genus adhærere: plane ut *ſagulo diverſicolore* Tacitus, ex longa morum Gallicorum conſuetudine, uſum narrat

rat Cæcinam noſtrum. Præterea *Campeſtre*, illud, textura *ſegmentatum*, ac *trabeatum*, niſi quis contendat, quod minime puto, ad ſacrorum & ipſum ritus pertinere: ſicut Athenienſium certe pertinuit moribus; apud Ariſtophanem enim in Pluto, vetulam mulierem cui operandum erat ſacris, induxit amictam *verſicoloribus*: ἔχουσα δ᾽ ἦλθες αὐτὴ ποικίλα. Sed, uti dixi, cum hoc non credam, annon totum id cum *braccis* potius Gallicis comparabimus? adducto verſu Propertii, de Gallo quodam, libro quarto, Elegia decima: *Illi virgatis jaculantes ab agmine braccis, Torques ab inciſa decidit uſque gula.* Taliumque virgatarum *braccarum* imaginem hac nobis præberi gemma? Neque enim referre; quod in hocce campeſtri virgæ ſunt non quidem reticulatim decuſſatæ, verum in lungum æqua ſerie productæ. Nam, quod me jam judicaſſe memini, *virgatum* perinde fuiſſe dictum exiſtimo quidquid modo virgas haberet, ſive illas in longum pariter, ſive in obliquum contrarie perductas. Illud genus ut ſit; hoc autem ſpecies. Non tamen itidem *Scutulatum*: hoc enim in id, cui deſint *ſcutulæ*, id eſt, *quadrangula imparibus lateribus*, haudquaquam

quam cadit. Ergo & *sagum* gemmæ *virgatum*, & *campestre*. Etsi præterea *scutulatum* illud, hoc mere *virgatum*. Adeoque *braccarum* simile, apud Propertium, *virgatarum*. Siquidem *Campestre*, *subligaculum*, *succinctorium*, ἀναξυρίδες, *Bracca*, plura nomina, fere una res. Præcipue si *Braccas Campestri* conferas, ut fuisse Belgarum Strabo dicit, libro quarto: *circumextentas*, περιτεταμένας. Sed cum adhuc omnia conveniant, ultimum exspectat nos, *Optio* scilicet! Quod quidem occurrit nomen & in libris, & in lapidibus, & in Jure Civili. Egereque de isto nomine viri Principes litterarum. Justus Lipsius de Militia Romana libro secundo, Dialogo octavo; etiam bis in Taciti Commentariis. Cujacius haud uno loco. Stewechius ad Vegetium; & Reinesius pluribus. Equidem uti dicta non repetam, ita si quid adhuc obscurum est, facitque ad rem nostram, conabor lucis quod potero conciliare. Obscuritas ex ambiguo nascitur. Hoc & viri docti agnovere. Nam Lipsius ad Tacitum, ubi de *Optione*, sic tamen ut dubitans: *Posterior ætas, nisi fallor, diverso paullum sensu*. Mihi vero attente cogitanti quadruplex hujus nominis esse

esse videtur ambiguitas, adeoque gradu quadruplici definienda. Nam aliud video nomen Optionis valuisse vigente libertate Reipublicæ; aliud eadem labente, simulque priorum Cæsarum annis; aliud sub finem Imperii. Ac rursus ipsa in Imperii adolescentia, bipartitam invenio significationem. Ut ergo ad priora & vetera prius; enimvero hic crassæ nobis tenebræ. Quid autem mirum? cum antiqui, unde nobis erat discenda & cognoscenda distinctio, ipsi confligant inter se. Ac miror sane id minime animadversum. Exponam eorum auctoritates. Quæ quidem sunt omnino tres nobis reliquæ. Duo Varronis loci; Alter apud Nonium; apud ipsum alter Varronem, libro de lingua lat. quarto. Festi vero tertius est locus: aut potius Verrii Flacci. Dico autem parum veteribus hisce viris inter se convenire. Quod ut appareat, propositis opus est eorum locis. Varro, de Vita Pop. Rom. libro III. *Referentibus Centurionibus, adoptati in cohortes subibant, ut semper plena essent legiones: a quo Optiones in turmis Decurionum, & in Cohortibus Centurionum appellati*. Quæ verba Nonius, antequam referret, exponens, addit; *Optiones in cohor-*

hortibus, *qui sunt honesti gradus*; *ut Optatos*, *quod est electos*, *& adoptatos*, *quod adscitos*. Bene est. Habeo quid sibi velit. Neque ulla mihi difficultas est alio in Varronis loco, quem afferendum proposui, e quarto libro de L. L. Ibi cum exposuisset originem Decurionum, hæc habet: *Quos hi* (Decuriones) *primo administros ipsi sibi adoptabant*, *Optiones vocari cæpti*; *quos nunc propter ambitionem Tribuni faciunt*. Fallor! an hoc Varro dicit: Antiquis Optiones dictos, quod vere tum adoptarentur, cum postea Varronis ætate fieret aliter. Credo equidem! Nunc ergo rogetur quoque sententiam Festus par est, inter Consulares haudquaquam contemnendus. Is vero sic, ex Verrio Flacco, qui sub Augusto vixit: *Optio qui nunc dicitur*, *antea appellabatur accensus*. *Is adjutor dabatur Centurioni a Tribuno Militum*, *qui ex eo tempore*, *quem velint Centurionibus permissum est optare*; *& nomen ex facto sortitus est*. Ad hunc locum certe Cujacius respexit, cum in Observationum Juris libro sexto, capite trigesimo tertio, scriberet: *Ministrasse interim eos* (Optiones) *Decurionibus & Centurionibus Festus scribit*. Etsi non vere scribit hoc Festus, at Festi decurtator Paul-

lus

lus ex Varrone. Atqui nihili quidem isthuc. Ceterum Festi sententiam apertius exponentem audiamus Lipsium, in libris de militia Romana: *Hoc sentit dixitque Festus, antea accensum dictum, cum Tribunus eum daret; sed posteaquam Centurioni optandi eligendique jus fuit, factum Optionem*. Nihil melius! haud enim est dubium, quin Festi verbis id ipsum contineatur. At, inquam, non animadvertisse Lipsium cum de his rebus ageret, ac neque alios, aut non admonuisse, id si ita sit, idque si Festus dicat, tum vero pugnare inter se frontibus adversis Varronem ac Festum, ut nullum acrius par gladiatorum? Quinimmo hæc miscuerunt invicem, ac si essent eadem, nedum admonerent inter se opponi. Non sic loquor ut sugillem Viros omni laude majores, doctrinarum duces atque magistros; verum ut res, quod & ipsi voluere, magis atque magis clarescat. Enim vero ecce! Varro ait: *ut Optio non optaretur* a Centurione, sed assignaretur a Tribuno Centurioni, haud esse antiquum, sed novæ ambitionis. Verba ejus: *Quos nunc propter ambitum Tribuni faciunt*. Festus. Immo prius hoc fuisse, ut *Optio Centurioni assi-*

gnaretur a Tribuno, quam ut optaretur a Centurione. Verba Festi: *Is adjutor dabatur Centurioni a Tribuno militum*. Neque adhuc satis. Varro: antiquum esse nomen *Optionis* ex ipsa re natum. En verba: *Quos ipsi sibi adoptabant Optiones vocari cœpti*. Hisque Opponit: *quos nunc Tribuni faciunt*. Quid Festus? Non fuisse veteribus nomen Optionis, *accensum* enim veteribus eum appellari consuevisse. Verba: *Optio qui nunc dicitur antea appellabatur accensus*. Quando autem *Optio*? nimirum haud olim, ut Varro, sed postea; tum enim *Centurionibus quem vellent permissum est optare*. Ecquid compugnantius? Ergo per veteres, utpote discrepantes invicem, discernere nobis non licet, quid *Optio* significaret antiquis, & quid Varronis ævo, & mox Augusti, cujus ætate scripsit Verrius. Nec tamen volo despondeamus animum. Librariorum enim fortasse discordia hæc est, non auctorum. Et quidem bene, quod etiam Lipsius vidit, neque enim erat obscurum, esse mendum in Festo, ubi scribitur nunc: *qui ex eo tempore quem velint Centurionibus permissum est optare*. Nam hæc sensu carent. Itaque voluit emendare; sed non admodum certus

tus videtur emendationis fuisse suæ, cum ipse sibi non constet. Nam in opere, de *militia Romana*, sic: *pro ex eo tempore; clarius scribatur*: *ex quo tempore*. ut sensus: Qui *Optio*, ex quo tempore Centurioni permissum est optare, scilicet cum antea non esset permissum, (contra quam Varro) isto nomine cæpit dici. Sed idem postea Lipsius, in Commentariis ad Tacitum, aliter opitulatur Festo; aitque, cum versaretur iis ipsis in verbis Festi: *qui ex eo tempore. Festum corrigo, legoque: militemque ex eo tempore, quem velint, permissum est optare*. Nimirum, quod ante legitur, *Tribuno militum*; disjunxit *militum* a *Tribuno*, fecitque *militem*; cui addidit encliticam *quæ*, factam ex *qui*. Fluctuat igitur, neque sibi Lipsius constat in hac emendatione Festi. Sed, ut vel maxime constaret sibi, nihilo minor esset Festi cum Varrone pugna. Quæ cum ita se habeant, videamus, an ulla reperiri possit ars, qua favente magis Æsculapio, & magis ex rei natura, palam ægrotanti Festo subveniatur; ut deinde redeamus ad nos. Inter figuras litterarum *c*, & *e*, videmus quanta sit affinitas. Inde prima erroris occasio. Præsertim cum sæpe in scriptura veteri, *c*,

non alio differt ab *e*, quam quod, uncinata molliter linea, æque distans ab utroque cornu, dirigitur in ventrem litteræ. *b* quæ linea facile potuit, ut negligi etiam addi. Itaque ponamus hoc, ex *co*, factum, *eo*. Deinde scimus *q*, nihil esse aliud quam obversam *p*, ut errori facillime sit inter utramque locus. Igitur, si nunc, in Festo, dicamus, illud *eo*, corruptum ex *co*, & *qui* ex *pri*. *Ex* vero particulam, quæ sita est inter *qui* & *eo*, servare nobis vestigia litterarum, quæ ibi esse deberent, *sc.* nam *x* duplex omnino iis duabus constat litteris. Ecce tibi, quasi bombycem ex verme, sic e frustulis nasci *prisco*. Quod si adhuc in verbo *dabatur* una dematur syllaba, ut sit *datur*; ceu genito illo *ba*, e similitudine antecedentis verbi, *appellabatur*; jam spondeo amicitias initum iri, oblivionemque discordiarum Festum inter ac Varronem. Locus enim Festi sic erit: *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adjutor datur Centurioni a Tribuno militum. Prisco tempore, quem velint* (aut, *vellent*) *Centurioni permissum est optare; & nomen ex facto sortitus est.* Sensus: *Optiones* quos dicimus nunc, iique uti nunc fiunt, plane sunt qui ab antiquis

tiquis appellabantur accensi. Hoc sibi volunt verba: *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus*. Ratio sequitur: *Is enim* (Optio) nunc *adjutor datur Centurioni a Tribuno militum*: adeoque potius *accensus* quam *Optio* est. Dum adcensetur a Tribuno, non optatur a Centurione. Quod convenit Varronis illis: *quos nunc propter ambitionem Tribuni faciunt*. Tertio mox loco Festus addit rationem ipsius nominis, ex antiquo more: *Prisco tempore, quem velint Centurioni permissum est optare; & nomen ex facto sortitus est*. In eoque iterum convenit Festo cum Varrone, qui pariter *Optionis* etymologiam sic exponit: *Quos hi* (Decuriones) *primo administros ipsi sibi optabant, Optiones vocari capti*. En junctas dexteras! en redditam pacem antiquitati! Non ergo accipiam adeo facile, quod, ut ex loco Festi, docet una cum Lipsio Stewechius, ad Vegetii secundum, his verbis: *Optio, teste Festo, antea dicebatur accensus*. Quasi olim esset *Optionis* nomen ignotum! Scilicet! Atque id si Festus dixit, tum ego vero multo libentius assentiar Varroni, doctissimo Romanorum affirmanti *primo*, id est antiquis, *Optionem* dictum ab optando. Sed ille, credo, non

dixit, atque culpa non Festi est, verum errantis calami. *Optio* & *accensus*, æque veteri ætate Romanorum dicta sunt, atque Varronis ævo. Sed hoc intererat, quod olim *Optio* dicebatur is, qui vere fuisset *Optatus*, id est *electus*. Postea retinuere nomen, rem immutavere. Ut cum *Galeam aream*, libro primo dixit Livius. Nam Galea, si Galea est, non ex ære, sed ex pelle felis: at, quod olim tales, etiam ex ære quæ fierent, postea dictæ *Galeæ*. Ergo idem nomine, re non idem. Sic & *Optio* utriusque nomen ætatis. Olim autem diversus ab *accenso*, postea idem cum *accenso*. Pariter *accensus* fuit nomen in usu & antiquis, & posterioribus. Porro antiquis *accensi fuere duplices* (eo inquam sensu, qui faciat ad nos). Clarum hoc faciam locis duobus Varronis compositis; uno e libris de L. L. altero qui est apud Nonium. Igitur, de L. L. libro quarto: *Magister Equitum, quod summa potestas ejus in Equites, & accensos*. Quinam autem hi accensi, & quid iis rei cum Equitibus (erant enim accensi etiam haud Equites) discere possumus e libro de Lingua itidem Latina sexto: *Adscriptivi dicti quod olim adscribebantur inermes . . . . . . aut quod*

quod ferentarii equites hi dicti; qui ea modo habebant arma quæ ferrentur, ut jaculum. Hujusmodi equites pictos vidi in Æsculapii æde vetere, & ferentarios adscriptos. Tum affert Plautum e *Frivolaria*; sic: *in Frivolaria: Ubi Rorarii estis? ubi sunt Accensi?* Velim animadvertas hic eosdem *accensos* fieri cum *adscriptivis*. Sed antequam de hoc, alterum conferamus locum, apud Nonium, e libro de vita Pop. Rom. III. *Quid ea scriptivis* (pro his omnino futilibus, optime Junius emendavit: *Qui de adscriptivis*; addo tamen, ex, *Quid*, verius fieri posse, *quidam*, sic ut legatur: *Quidam de adscriptivis*) *cum erant attributi Centurionibus & Decurionibus, qui eorum haberent numerum* (non *habent*, ut est in vulgatis, orto errore ab compendio scripturæ, ut in manuscripto est Nonio, quo utor, hñt) *accensi vocabantur*. Varronem vides facere speciem *adscriptivorum*, ut generis, *accensos*. Indeque intelligis eundem in loco superiore, *adscriptivos* & *accensos* jure pro iisdem accepisse, nempe jure communis generis. Atque hi erant quos Festus veteribus dictos ait accensos, *Optionum* similes ævi sui. Nam idem Festus, voce, *adscripticii*: *adscripticii veluti*

quidam adscripti dicebantur, *qui supplendis Legionibus adscribebantur*. Quid autem ubi jam venissent in Legiones? Sequitur Festus: *hos & accensos dicebant*: *quod ad Legionum censum essent adscripti*. Ergo tum, ex genere, quod est, *adscripticii*, transibant in unam duarum (fuit enim & altera, de qua mox) specierum *accensi*; plane ut Varro: *qui eorum habebant numerum*, *accensi vocabantur*. Neque enim est aliud, *habere numerum*, ut Varro, quam *esse*, ut Festus loquitur, *in censu Legionum*. Sed alia deinde species ii, quos alteros dixi veterum *accensos*. Cum ex illis eisdem *adscripticiis*, aut *adscriptivis* quidam Consulis aut Prætoris adsignabantur ministerio. Atque ii sunt quos, ut speciem subditam generi, idcirco subjungit Varro *adscriptivis*, eodem loco quem supra retuli, sexti libri de. L.L. *accensos ministratores Cato esse scribit*. *Potest id ab arbitrio*. *Nam inde ad arbitrium ejus*, *cujus minister*. Ubi Salmasius immerito Varronem accusat, quod Catonis hæc Plauti loco superiori subjungens, e *Frivolaria*, sese ostendat minime Plautum intellexisse. Cum potius, ut quidem puto, Salmasius non intellexerit mentem Varronis, primum ut genus ex Plauto

Plauto *accensum* cum *adscriptivo miscentem*. At mox, quatenus idem est quoque species, exponentem ex Catone. Josephus autem Scaliger, in Conjectaneis, carpit Italos, ut qui nequiverint extricare sese ab eo corrupto Varronis loco. Emendat vero ipse sic: *Potest id ab arbitrio ejus (nam inde arbitrium) cujus minister*. Tum addit: *vides inconstantiam Varronis!* alibi enim duxerat ab *acciendo*. Quasi etymologiæ, ab *arbitrio*, quæ tota est ex emendatione Scaligeri, Varro ipse reus teneretur. Qui Scaliger, si cogitasset, multo melius, & ad vestigia corruptæ lectionis exactius emendari locum posse, forsitan reprehensione cum Italorum, cum quibus & ipse hæret, tum etiam Varronis potuisset abstinere. Equidem sic putabam, nihil esse facilius, quam, ut *nam inde*, litteris partim omissis, partim inversis, ut in Varrone sæpissime, corruptum fuerit ex, *nam acciere*; legebamque locum: *accensos ministratores Cato esse scribit. Potest id ab arbitrio. Nam acciere ad arbitrium* (scilicet ministrum) *ejus*, (scilicet est) *cujus minister*. Ita & hic,& alibi, loco quem statim afferam, Varro ducat *accensum* ab *acciendo ut libet*, id est, *ad arbitrium*,

trium, neque sit inconstans. Hoc vero notandum: quod *accensos*, cum sumti ex *adscriptivis* addebantur Legionibus, veteres ab *accensendo*, sive *adcensendo*, voluere dici. Cum dabantur *Magistratibus* ex eisdem illis *adscriptivis*, tum agnovere ab *acciendo*. Quo magis videas duplicem apud antiquos *accensum*. Nimirum binas species, ab uno genere *adscriptivorum*. At recentioribus æque duplices. Uni, quos *Optionis* nomine dicebant, etsi non *optatos* a Centurione; idque Varronis ætate ac Verrii cum fieret, inde Verrius, apud Festum, scribit, esse potius *accensos*, more vetere, quam *Optiones*. Alteri, qui, utcumque non jam ex *adscriptivis*, tamen dabantur Magistratibus. De his Varro apud Nonium, Rhetoricorum libro xx. *Ut Consules & Prætores qui sequuntur in Castra accensi dicti, quod ad necessarias res sæpius acciantur, velut accensiti*. Unde Varroni Cicero coævus, act. secunda in Verrem, qui locus adductus etiam a Salmasio est: *Homo autem sui generis frugalissimus, qui tum accensus C. Neroni fuit, P. Tettius*. Hunc tamen & proxime dictum a me Optionem simul conjunctos credo ab Asconio, cum ad hæc ad verba Cice-

Ciceronis adnotaret: *accensus nomen est ordinis & promotionis in militia*. Hucque pertinet *Abonius accensus Consuli*, ut in lapide scribitur nuper hic effosso, de quo meministi nos invicem collocutos. Quem lapidem, ut & paucos apud Gruterum ejusmodi, vellem videre potuisset Vir optime de antiquitate meritus Aldus Manutius. Agnovisset æque scribi *accensus*, & *adcensus*. Neque dixisset in Orthographia sua: *accensus, non, adcensus; libri & lapides*. Neque Cellarius ad unguem, cujus hæc verba in Orthographia: *Est quidem adcensus in Auximate inscriptione apud Gruterum, pag. 68. n. 3., sed non vetustissima, quod vox Communicipes, quam habet, evincit, alibi vero accensus*. Nec enim una in Auximate, apud Gruterum, *est adcensus*. Verum & in Romana, pag. DCXXXII. & in Tiburtina, pag. CCCCLXXXIII. & denique in hac nostra. Redeo nunc illuc unde abii. Videlicet, cum primum proposuerim ambiguitatem *Optionis*, quod aliter valeret ea vox apud antiquos, adolescente libertate, aliter labente Republica, id est ætate Varronis, ac simul primoribus annis Cæsarum; diversitatem in eo esse, quod antiquitus *Optiones* dice-

dicerentur, qui lectione Centurionis *optati* essent, postea qui non ii quidem lecti aut *Optati*, sed a Tribunis assignati: re *accensi*, nomine *optiones*. Dixi aliam præterea Cæsarum ævo subnatam homonymiam. Hanc exponam Lipsii verbis, de Militia Romana, quæ sunt: *Sed & Tacitus inter officia militaria nominat Proculum Tesserarium Speculatorum, & Veturium Optionem eorundem*. Histor. lib. primo. *Paullo tamen alio, ut videtur, sensu*. Quod certe genus *Optionum* ab eo jam descripto diversum. Ecce igitur ambiguitas. Eamque idem Lipsius ita solvere vult, ad locum Taciti, ut dicat; quod hosce posteriores reddat Græce Plutarchus, *διοπτήρας*, inde recte conjici, non ut superiores illos, itidem ab *optando*, sed potius inde sic dictos, *quod essent quidam arbitri, & inspectores*. Non est quidem ut credam Plutarchum *Optiones* unquam vertisse *διοπτήρας*, *inspectores*, quod Lipsius putat; uti mox dicam. Ansam vero ducendi nomen *Optionis*, hoc altero sensu, *quod essent quidam quasi arbitri & inspectores*, quasi tum esset *Optio* dictus, non tam ab *Opto*, quod est, *Eligo*, sed a Græco, *ὀπτεύω*, vel *inspicio*, mihi videtur Lipsio de-

dedisse Cujacius, ab eo laudatus in hac re. Isque Cujacius adductus in illam sententiam, absque dubio, est verbis Plutarchi, narrantis eandem, in suo Galba, historiam cum Tacito. Quorum verborum sententiam Cujacius ita refert, *observationum juris* libro sexto, capite tricesimo tertio, quasi Plutarchus dicat: *Optionis ac Tesserarii munere significari eos, qui nunciorum, & ὀπτήρων, id est speculatorum ministerio funguntur*. Quod si est, profecto nil facilius, quam inde ut *optio* dicatur, non quasi *lectus*, verum ut, *inspector*. Sic ut origine haud minus, quam significatione diversa sit ista vox. Atque vereor, ut verba Plutarchi paullo sint aliter intelligenda, quam quomodo relata sunt a Cujacio. Scilicet, ut non iis nominibus dictos Plutarchus voluerit, qui *nunciorum & speculatorum ministerio fungerentur*, at potius, qui *fungentibus eo ministerio praeessent*. Adeoque, sententia Plutarchi, ὀπτὴρ, *speculator*, non *optionis* quidem sit nomen, sed ejus cui *optio* praeest. Quapropter *optio*, cum ὀπτῆρι, *inspectore* non idem. Unde nunquam ab inspiciendo facta, semper autem ab *optando vel eligendo*, etiam hoc in secundo gradu ambiguitatis. Hoc ut appareat,

pareat, verbis Plutarchi opus eſt paullulum expenſis, atque adeo primum relatis. Quod faciam, poſitis ante conſimilibus Taciti. *Sed tum e libertis Onomaſtum futuro ſceleri præfecit, a quo Barbium Proculum Teſſerarium Speculatorum, & Veturium Optionem eorumdem, perductos*, cum iis quæ ſequntur, deque Galbæ ſunt exitu. Plutarchi vero hæc: ἐν δὲ τούτοις Ἰτούριος, καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν Ὀπτίων, ὁ δὲ Τεσσεράριος· οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ δι' ἀγγέλων, καὶ δι' ὀπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες. Quæ verba ut id redderent, quod Cujacius ponit, primum oporteret, non, uti nunc, diviſim, utque ipſe Cujacius videtur legere, δι' ὀπτήρων, & δι' ἀγγέλων; ſed conjunctim, ſicuti dixi Lipſium facere, διοπτήρων, etiamque διαγγέλων. Tunc enim ea verba ſic verterentur. *In his Iturius, & Barbius, ille quidem Optio, hic autem Teſſerarius: appellantur vero ſic ii, qui miniſteria obeunt internunciorum, & ſpeculatorum*, ſive *inſpectorum*. Omnino pro mente Cujacii. Sed ubi ſic verba & legerimus, & fuerimus interpretati, videndum eſt, ne impingamus in Tacitum; hoc modo. Ex ea enim lectione oportebit Plutarchum, ſi *Optionem* vertit διοπτῆρα, atque

que διοπτὴρ est *ſpeculator*, primum cum unam eandemque rem eſſe feciſſet *Optionem*, ac *Teſſerarium*, deinde ubi officium exponere vult, etiam *ſpeculatorem* feciſſe ſuperiorum *ſynonymon*, ac ſi diceret: *Optio* atque *Teſſerarius* officio funguntur ſpeculandi, quapropter ſunt iidem *ſpeculatores*. Verumtamen Tacitus aliter. Nam *ſpeculatorem* extulit caſu ſecundo, *Teſſerarium* autem & *Optionem*, ſchemate quidem orationis, quarto, re autem ipſa *recte* dixit. Cum ergo diverſis alterum ab altero caſibus ea nomina efferantur, neceſſario inter ſe *referuntur*, ſuntque ἐκ τῶν πρός τι. Quæ autem invicem referuntur, unum eſſe non poſſunt. Diverſus ergo ab *Optione*, *ſpeculator*, ſecundum Tacitum. Atque Plutarchus eundem eſſe alterum alteri fecit. Repugnat igitur Plutarchus Tacito, quod ſi non repugnat, neque enim par eſt, tum fieri nequit, ut *Optio* quaſi διόπτηρ a *ſpeculando* veniat. Porro autem haudquaquam repugnaverit, ubi Græca Plutarchi, prout in optimis leguntureditionibus, ita vertantur: Exponent enim ſeſe invicem Tacitus atque Plutarchus, nedum contraria tum dicant: *In his Iturius & Barbius, ille quidem*

Optio

Optio, hic autem Tesserarius. Appellant autem hisce nominibus eos, qui per nuncios & speculatores obeunt sua ipsorum ministeria. In his vides, primum ita diversos esse *Optionem ac Tesserarium, a nuncio & speculatore*, ut is per quem aliquid fit, diversus ab eo est qui per eum facit. Referuntur hæc igitur invicem, ut in Tacito, sic in Plutarcho. Deinde quasi studio vellet Plutarchus explicare quomodo in Tacito ista referantur, quaque ratione potissimum Tacitus extulerit alterum recte, alterum oblique, infert: *Tesserarios & Optiones esse, qui per sibi subjectos nuntios & speculatores obeunt ministria sua.* Ergo Tacitus, ex Plutarcho, *Tesserarium* & *Optionem* recte dictos, ad *speculatores* oblique probatos retulit, ut Præsides ad ministros. Quapropter non idem est cum Optione, *ὀπτὴρ* Plutarchi, sicuti neque *speculator* Taciti. Relinquitur, ut ex his *Optio* non sit ab *ὀπτεύω*, inspicio, sed ab alio fonte. Nam, quod Reinesius idem voluisse videtur confirmare, velut indicio Legis ultimæ de jure immunit. in Codice Justinianeo; non video quid inde possit arguere. Cum nihil habeat ea Lex hujusmodi; nisi quod ibi legitur: *Optio valetudinarii*. Et; *Optio fabricæ, & qui ægris præsto*

præsto sunt. Hæc ergo cum ita se habeant, ex eo quod Plutarchus *Optionem* describit nobis & explicat, qui ministris prout vellet uteretur, proutque aptiores ad opus crederet, mea sententia est, hac etiam altera significatione, quæ secundam ejusdem nominis ambiguitatem, pro mea distributione, pariter *Optionem* ab *optando* dictum. Ambiguum autem hoc modo solvi, quod nunc *Optio* non ea ratione prisca veterum adhuc dicitur, ut qui *optaretur*, seu eligeretur, is esset *Optio*, verum, e converso, ut cui facultas esset *optandi* e cohorte sua, eligendive quem aptissimum, propter facultatem *optandi*, sit *Optio* dictus. Atque per metonymiam quidem isthuc. Etenim velim animadvertas, hæc si ad Philosophiæ rationem exigamus, cum *Optio* natura sua sequioris sit generis, ubi transit in virile, daturque non rei, sed homini, semper adhiberi metonymiam. Et quidem illam adjuncti. Sed cum *Optionem* dicimus eum qui optatur, tum species est metonymiæ, proprio nomine, *adjuncti occupati*. Cum autem eum, cui potestas inest *optandi*, metonymia fit *adjuncti adhærentis*, quasi dicas, *eum cujus optio est*; reditque in eam,

quam fieri ait Fabius, octavo libro, cum *poſſeſſorem* appellamus nomine ejus quod poſſidetur; ſicuti *ſacrilegium* deprehenſum, pro *ſacrilego*. Exemplum utriuſque addam e meo cenſu, nimirum ex Apoſtoli 1. Cor. 12. Nam ibi numerans Eccleſiæ dona, ut homo Latinis *optio*, ſic ille quoſdam homines appellat, *opitulationes* ἀντιλήψεις, videlicet qui aliis auxilio adſunt. Metonymia eſt adjuncti occupati, & ab alio aſſumpti. Sed alios ubi dicit χαρίσματα ἰαμάτων, metonymiam adjuncti eſſe adhærentis ipſe paullo poſt indicat, rem eandem ſic efferens: *gratias habentes ſanitatum*. Igitur hujuſmodi agnoſco, ſi *Optio* intelligatur qui habet *optandi* pro ſuo arbitratu facultatem; arguens e Plutarcho, dum Optionem, ac Teſſerarium explicat eos qui aliis utuntur. Nec obeſt, quod hac ratione, Teſſerarius nihilominus Optio videretur appellandus. Nam & *Optio*, & *Teſſerarius* idem genere ſunt, ut qui pariter *optare* queant. Sed Teſſerarius præterea *teſſeras* dat. Eoque fit ſpecies. Mavult autem ſpecies ab ſemet nominari, quam a genere. Hæc faciunt, ut ad expediendum *Optionis* hoc altero ſenſu nomen,

hujuſmodi magis amplectar metonymiam, quam illam a Cujacio rationem allatam, ad librum decimum Codicis, cum explicaret Optionem annonæ. Sunt ejus verba: *Nominis ratio hæc, quod Duces eos ſibi optent quaſi adjutores, quo facilius cetera munia militaria obeant. Qua ratione auxilia fœderatorum optiones etiam dicuntur, ſupra leg.ult. de locat. Novell.* 116. 117. Sed præterea, nequeo enim eſſe longior, hæc ratio Cujacii peculiaris eſt, minuſque patet late; cum ea altera, quæ ducitur ab diverſo metonymiæ uſu, ampliſſime diffundatur. Inde enim, velut una certaque clavi, aperiuntur quos toties in lapidibus, toties in libris, inque jure civili reperimus: *Optiones Fabricæ. Optiones Valetudinarii. Optiones carceris. Fœderatos ſub diverſis Optionibus*, de quibus ultima lex in titulo Codicis, *De locato & conducto*. De quibus etiam Auguſtinus in Johannem: *alii traduntur optionibus*. Denique ut quiſque attributos habet miniſtros, e quibus optare quemlibet ei facultas ad miniſterium, ita optio dici jure metonymiæ poteſt. Vides, quemadmodum ex eligendi *optandive* una origine, ſciderit nomen ſeſe duos primum in rivulos, fa-

ctoque mox divergio, redierit obliquo cornu ad ipſam originem. Hæc de ambiguitate ſecunda, quæ ſe proripuit etiam præter caſtra. Tertia inſtat, ea nimirum *Optionis* ſignificatio, quam adtribuebam Imperio jam labenti; definiendamque cenſeo Vegetii verbis, libro ſecundo, capite ſeptimo: *Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tamquam adjutores eorum atque vicarii, ſolent univerſa curare*. Sed arbitror fore pleroſque, hoc loco, qui me reprehendant, propterea quod iſta Vegetii referam ad extrema Imperii, cum ſummi Viri eadem adhibuerint ad illuſtrandum *Optionem ultimæ antiquitatis*. Equidem hoc ſcio. Neque alio puto niſi ad Vegetium reſpexiſſe Virum inſignem Andream Alciatum, in Commentariis librorum trium poſteriorum Codicis, ad l. *ſuper*, ubi volens *Optionem* explicare, ſic ait dici *eum qui ægros antecedat*. Etenim in Vegetio reperit, *optiones dari antecedentibus ægritudine* præpeditis. Verum *antecedentes* Vegetio dicuntur *majores*. Tum ſubjicit Vegetio, confertim appellatos nomine tantum, *Plautum*, *Varronem*, *Nonium*, quaſi facerent eo aliquid. Nec minus ab Lipſio vidi

vidi compositum Festo, Nonio, ac Varroni Vegetium, plane ac si omnes uno loquerentur ore. Denique Reinesius manifeste; nam fere ipsis Vegetii verbis Optionem describit, uti fuit optimis antiquissimisque temporibus. At si consideraverint ii, a quibus ego fortasse reprehendar, quomodo sit Vegetius loquutus, priusquam inter alios militiæ gradus, ipse *principia* dixit, *Optiones* explicaret singillatim, fient, credo, mihi magis placabiles. Nec existimabunt a me factum male, quod *Optionem* Vegetii ad ævum labens Imperii contuli. Sic autem Vegetius præfatur: *Antiqua ordinatione legionis exposita principalium militum, & (ut proprio utar vocabulo) principiorum nomina & dignitates, secundum præsentes matriculas, indicabo*. Ergo secundum eas, quæ *præsentes* dicebantur ætate Vegetii, *matriculas* illa est *Optionis* facta per eum expositio. Non igitur secundum veteres. Quamvis originem vocis ab antiquitate sumserit, prout Vegetio mos componere dissita. Vixit autem Vegetius Valentiniano, ut scimus, imperante, atque suum ei Principi opus inscripsit. Ergo Vegetii, non antiquus, at Imperii labentis, *Optio*. Ita-

que sic ego solverem tertiam in hoc nomine ambiguitatem, eo peculiariter tempore dictum *Optionem* existimans, *qui daretur ut Vicarius antecedentibus valetudine præpeditis*. Nec scio satis, an optime Lipsius, si hoc Vegetii loco fuit fretus cum illa scriberet, Senecæ verba ex annalium Taciti quartodecimo: *Quomodo in militia, aut via fessus adminiculum orarem*, de *Optione*, ut erat ætate Senecæ, acceperit. Quod enim *adjutor, & administer Optio* dicitur in Varrone, ac Festo Centurionis, alio arbitror pertinere, explicandumque ex Polybio, sub initium libri sexti. Sed quo feror? Ego vero sperans paucarum linearum fore hanc rem, capessivi me in pelagus, ut video, altius æquo, & immitius. Interim & pæne defessus ego scribendo sum, & tibi creo tædium. Nisi quod tamen veniam mereri possit obscuritas rei. De qua Reinesius, postquam erat diu loquutus, ita conclusit: *Hæc de Optione, & adfinibus paullo fusius, quod hanc antiquitatis partem turbide tantum traditam viderem.* Nunc *thesi* exposita, quam Latini *propositum* dicunt, sequitur ut videamus de *caussa*, sive ea est *hypothesis*. Videlicet, si de *Optione* ita sit, uti multis hacte-

hactenus disseruimus, ad quam potissimum earum significationum, quæ sunt ipsi attributæ, referamus *Optionem* Labieni Curionem? Ego vero nil dubitans, ubi *Optio* Labieni Curio fuerit, genere quidem, ad Varronis antiquum illud referam; ubi: *qui subirent in cohortes, referentibus Centurionibus*, eos *Optiones* dicit. Genere, inquam; etenim specie hoc tantum puto differre, ut, modo quis optaretur, sive a Centurione, sive ab alio cui legitima esset facultas, ille Optio, ex Romanorum consuetudine, dici possit. Etiam cum *optaretur* a Summo Imperatore. Ut, si libet, hanc addere quinctam possis ad quatuor superiores homonymiam. Utar exemplo ejusdem ævi, quo Labienus vivebat. Cæsar in primo de B. C. narrat in prælio ad Ilerdam occubuisse quemdam Q. Fulginium sic: *In his Q. Fulginius ex primo hastato legionis* XIV. *qui propter eximiam virtutem, ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerat*. Hunc ergo Fulginium, eo ipso quod esset inductus in istum locum ex ordinibus inferioribus, auctoritate atque *optione* Cæsaris, etsi clarum est ex verbis, confirmabo tamen Cæsarem conferens cum duobus Livii lo-

cis, quorum unus, etsi non ad hanc rem, ceterum affertur erudite ab Aldo Manutio, in suis ad Cæsarem annotationibus. Alter priorem, in Livio, continuo sequitur. Ii sunt in libro quadragesimo secundo, inque concione ad populum Sp. Ligustini. *In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius fui adversus Philippum Regem; tertio anno, virtutis caussa, mihi T. Quinctius Flamininus decimum ordinem hastatum assignavit.* Deinde. *Devicto Philippo Macedone, quum in Italiam portati ac dimissi essemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio Consule in Hispaniam sum profectus. Neminem omnium Imperatorum qui vivant, acriorem virtutis spectatorem, ac judicem fuisse sciunt, qui & illum & alios duces longa militia experti sunt. Hic me Imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris Centuriæ assignaret.* Parco pluribus. Jam qui sic, *optione* summorum Ducum ad altiores in militia gradus producti essent, adeo posse dici *Optiones* credo, ut certum habeam hunc esse ipsum honorem virtuti habitum, quem Cato, apud Festum, proprie atque eximie dixerit *optionatum*. Verba sunt ex Oratione quam Cato habuit ad

Equi-

Equites: *Majores seorsum atque diversum precium paraverunt bonis atque strenuis, Decurionatus, Optionatus, hastas donaticas, aliosque honores*. Ubi notari obiter potest, *precium*, ceu τιμὴν a Catone *præmium* dici, perinde ac factum a Virgilio esse animadversum supra. Cum autem *optionatus* a Catone inter ea dona seu præmia numeretur, qua post victoriam, a Duce summo, pro cujusque virtute, militibus erat mos dari; quales fuerunt *hastæ donaticæ* hic memoratæ, de quo genere donorum Polybius in sexto libro; igitur ille *optionatus* auctoritate summi Ducis collatus in benemeritos, fuit ab eo diversus *optionatu*, qui Catonis ætate in facultate Centurionis, ut vidimus, erat, seu Decurionis, non autem ad Imperatorem pertinebat. Itaque non diversus ab eo, quo Cæsar Q. Fulginium honestavit, allato jam loco, *propter eximiam virtutem*, ut ipse ait, sicuti Cato dixerat, *paratum* eum *strenuis ac bonis* more majorum. Neque hoc omittam, eodem *optandi* verbo aliquando significari jus quo utebantur ipsi etiam exercituum summi Duces, eligendi non jam quibus inferiore præditis loco præessent, sed

quos

quos poteſtate ſibi æquales, nonniſi Senatus permiſſu fas erat ut ſocios & adjutores aſſumere. Quem denique ſextum *Optionum* ordinem poſſis agnoſcere. Sic apud Livium libro ſexto: *Quum bello perſequendos Tuſculanos Patres cenſuiſſent; Camilloque id bellum mandaſſent, adjutorem ſibi ad eam rem unum petit: permiſſoque ut ex Collegis optaret quem vellet, contra ſpem omnium, L. Furium optavit. Qua moderatione animi, quum Collega levavit infamiam, tum ſibi gloriam ingentem peperit*. Fuit ergo Furius tunc *Optio* Camilli, ſed æqua poteſtate *Optio & adjutor*. Atque hinc, niſi fallor, acumen Plauti pendet in Aſinaria. Cum enim Demænetus Libano mandaret argentum exſculpendum; iſque difficilem factu rem futuram oſtenderet; ibi Demænetus plane ac ſi Libano expeditionem cum exercitu magnam imponeret, ut Camillo Senatus, ita ipſe Libano facultatem facit legendi adjutorem ſibi: *Tibi Optionem ſumito Leonidam; Fabricare quidvis, quidvis comminiſcere; Perficito argentum hodie ut habeat filius*. Quaſi diceret, adjutorem, ſi vis, ad hoc ſumas tibi licet per me vel Leonidam. Nequiſſimum omnium ſcilicet. Quæ

cum

cùm ita ſint, eo denique rem deduco, ut affirmem: potuiſſe Curionem, Cæſariani Curionis filium, & ex indole antiquitatis, & ex adjunctis rerum ac temporum, in Gemma cælatum inſcribi *Optionem Labieni* ſic, ut non, quod fieri tunc ſolitum, *Optio* daretur a Tribuno cuipiam Centurioni, eſſetque, ut ita dicam, ex *optionum* ordine vulgari; ſed ut Labienus hunc, aut merito virtutis, aut quo nobiliſſimæ familiæ juvenem, quo magis partibus Pompejanis adſtringeret, donandum ſibi cenſuerit honeſto loco militiæ, atque id extra ordinem. Quo deinde *optionatu* Labieni ceu ſibi qui decori eſſet, inſigniri Curio deinde amaverit; ſive, quemadmodum Sp. ille Liguſtinus, apud Livium, T. Quinctii Flaminini, & Porcii Catonis, talium Imperatorum, judicio potiorem gradum in militia ſibi adtributum gloriabantur, ſic ipſe laudi duceret ab T. ſe Labieno fuiſſe promotum; propter viri auctoritatem in re militari, quæ certe non erat mediocris; ut de illius ad Pompejum adventu Cicero ſcripſerit: *Cujus adventu Cn. noſter multo animi plus habet*. Magna enim geſſerat in Gallia pro Cæſare, celebra-

braturque prudentia ejus in re militari, duobus a Frontino locis. Sive etiam auspicatum sibi titulum existimaverit ejus Viri optionatum, propter aliquam similitudinem. Quippe ut hic e Cæsariano factus erat Pompejanus, itidem Curio. Ut is magnas ob id factum laudes tulerat, cum judicio Ciceronis, in duodecima septimi ad Atticum: *damnasse sceleris hominem amicum, Reip. caussa videretur*; & ibidem, alibi: *Labienum Magnum Virum judico*; sic & Curio participem se, quemadmodum facti, ita & laudum fore consideret. Neque enim quod Cicero sibi videtur veritus, his ad Atticum verbis: *Parum in Labieno dignitatis*; videlicet ei si adhæreret, propter voluntatis illam mutationem, ulla erat caussa quare Curio formidaret. Denique hoc ipsum inscribere se *Optionem* illius, qui fuisset acerrimus in partibus Pompejanis, pignus quoddam videtur mihi, quasique publice data fides, nunquam vivum se ab iis partibus recessurum, pro quibus obiisset ille, cujus *optionatu* gloriabatur; ut neque ab odio Cæsarianorum. Quo quidem in odio, habebat quem imitaretur C. Curionem avum suum, Consularem Virum atque

Trium-

Triumphalem, inimicissimum Cæsari & factis, & scriptis; manentque summæ acerbitatis adhuc apud Suetonium fragmenta nonnulla, ne dicam de Patre semper adverso Cæsari, donec emtus ab eo esset incredibili vi pecuniæ. Sed obfirmatus ille amore Pompejanorum animus Curionis, jungam enim principio finem, & erga partes, pro quibus Labienus occubuerat, fides, ut initio dicebam, interitum ei facile comparavit: induxitque Augustum, ut minime parcendum existimaret, quin potius obduraret animo, & utcumque aliis facilis, hunc tamen Cæsaris Manibus devotum vellet. Hæc mihi de quæsitis a te videbantur, homini, cui nihilo plus habeas in hujusmodi rebus fidei, quam quantum & doctiorum, & magis exercitatorum judicio fuerit constitutum. Scripsi autem pæne raptim has litteras, & deciduis quibusdam tempusculis. Quo magis erunt dignæ, quibus a te venia detur. Ceterum hoc etiam addam necesse est. Nequisse me postquam scripseram iterum accurate legere, tot hinc inde avocamentis distrahebar. Itaque scribendi errata, quæ certe non pauca inerunt, & quæ sunt ejus generis,

con-

condona, quæso te, his verbis atque interpellationibus meis. Denique potes, quam ægre mihi licuerit Epistolam pertexere, vel hinc argumentari, quod cum a querelis de aquarum copia cæperim, nunc si velim in querelas desinere, non jam pluviæ sed æstus & calores culpandi sunt. De libello rerum Herculanensium gratias tibi maximas. Non quod jam legerim, aut judicium adhuc facere de illo possim. Nam quidquid incideret vacui temporis, equidem in has collegi & insumsi litteras. Nunc autem jam legam, fruarque tuo munere. Quod si Gorius fidem suam liberaverit, expositione ad te missa Placentinarum tabularum, tuque participem ejus expositionis facere me volueris, haud queo dicere quam gratum sim habiturus. Vale, mi Clarissime atque optime Paciaude, meque, ut facis, ama.

Vicetiæ A. D. Sext. Kal. Sept. cum orsus essem scribere prid. N. Quinctil.

FINIS.

INDEX
OPUSCULORUM
Quæ in Octavo Volumine continentur.

Ioan-